ELOGIA

CIVIVM PERVSINORVM

Qui Patriam, Rerum, Pace, ac Bello geſtarum gloria illuſtrarunt.

CENTVRIA PRIMA

CAESAR ALEXIVS I. V. D. PERVSINVS Colligebat.



FVLGINIAE, apud Auguſtinum Alterium 1635

DD. Superiorum permiſſu.

Imprimatur.
Augelus Abb. Felicianus Vic. Gen.

APPROBATIO.

Centuria prima Elogiorum Illustri um Virorum Augustæ *P*erusiæ, Excellētis. *D.* Cæsaris Alexij V. I. D. Perusini, nihil habet bonis morib. ut rectę fidei contrarium;& pręlo, doq; Elogiis digna, multis dara lu ē, Reip. interest, vt emittar in publicā lucem. Ita censeo, ac ubscribo, qui iussu Reuerendiss. . M. Fr. Vincentii Mariæ Pellegri i Ord. Præd. Perusiæ, Vmbrię, anexarūq; Ciuitatum Gen. Inquisit. idi, ac perlegi
Ego Felix Verducciolus Theol. a Patrio Perus. Gymn. Eloq. Prof.

Stante attestatione supr.
mprimatur.
Fr V. Maria Inquisit. Perusiæ

AdD. Cæsarē Alexium I.C. Elogiographum Augustę Perusiæ.

D. Felicis Verduccioli. Tetrastichon

IAclet cæsa suo tot millia milite Cæsar,
Est tua seruandis Ciuibus apta manus.
Sit Decus occidisse hostem: seruata suorum
Tot præ millenis GENTVRIA vna valet.

Eiusdem Aliud.

ABstulerat claros indigna obliuio Ciues,
Raraq. nominibus fama superstes erat.
Tu Patriæ reddis meliori in lumine vitæ.
Hi nè tibi debent, Cæsar, an illa, magis?

Incerti Auctoris Distichon.

PRæsidium alarum gestas agnomine Alexi,
Quid mirum ingenium scandere ad Astra (tuum?

Del Sig. Dottor Lodouico Alberti.
Parla Perugia.

FVor del torbido Rio, ch'in se nasconde
Fra le Vene d'Auerno i nomi, egli anni,
Ou'il Veglio faial rapido i vanni,
Ogni cosa mortal tragge; e confonde;
Cigno nato del Tebro a le pur'onde
Per ritor le memorie à nuoui danni,
Vedi colà con gloriosi affanni
Trar gli Eroi di Turrena in sù le sponde.
Curioso stranier, ch'in ogni parte
Spij di lor, che calcaro, emuli al Sole,
Per l'Herculeo sentier l'orme di Marte,
E d'Apollo, e d'Astrea: l'inclita Prole
Ch'erge il candid' Augel su le sue carte
Mira a le Greche vgual dar le mie scole.

Del Sig. Frãcesco Maria Calidonii.
Al medesimo Sig. Alessi.

TEneri di Pelide, anzi bambini
Ne li stigij lauacri i membri immersi
Com'al rigor di mille brandi fersi
Infrangibili scudi adamantini:
Gli Eroi così di questo Ciel, diuini
Mercè gl'inchiostri tuoi, Cesare; e tersi
Al'armi ancor del nero oblio vedersi
Speran gelidi ferri, e sassi alpini.
Nè lo sperano in van, ch'a parte a parte
Se del saggio Latino entro i tuoi fogli
Viue il candor rinouellato, e l'arte;
Non han di Lete a pauentar li scogli;
Che le Cesaree sono inclite carte
De l'acque vsate a superar gli orgogli.

Illuſtriſſimo atq. Excellẽtiſſimo D.
D. FVLVIO CORNEO
Caſtilionis Duci

CAESAR ALEXIVS S. P. D.

CEnturiam primã Illuſtriũ Peruſię Virorũ, tot veluti Peruſini Cęli ſydera, exhibiturus, tenebras adhuc formidabã, nec enĩ me latebat, ab Aſtris, licet innumeris, noctẽ nõ fugari. ergo ad Solem mihi cõfugiendũ fuit, nempe ad te Solem excellẽtiſſimũ, Dux Fului, qui authoritatis, ac patrocinij tui luce omnẽ illicò tenebrarum horrorẽ expelleres. neq; vero eſt, quod timeã, ne tuo Solis ſplendore hæc ſydera obruantur. Tu enim Sole maior, & melior, ita maieſtatis lucem tẽperas humanitate, vt rudioris ſtyli, atq; ingenij mei noctẽ fugaſſe cõtentus, in meridiana luce virtutum tuarum etiã alienæ gloriæ ſydera intermicare patiaris. Vale, ac ſine occaſu tuis ſemper Ciuibus illuceſce.

ILLVSTRISSIMIS DECEMVIRIS PERVSINIS, alijsque Conciuibus.

CAESAR ALEXIVS S. P. D.

NIhil mortalium animos æquè inflectit, ac exempla Maiorũ; quorũ ea est vis, ea facultas, vt ab malè instituta sæpè viuendi ratione nos reuocent, eorũq; ad imitationẽ traducant ipsa pænè dicerem repugnante Natura, nisi primũ Naturę pręceptum esset, Maiorum vestigijs insistere. Hoc quod ab alijs didiceram olim, meo docere nunc possũ experimento. cũ enim in Iurisprudentiæ studijs, diù versatus, ac laureã tandẽ consequutus, per triennium in hoc Gymnasio interpretãdarum legum peritiam essem publicè professus; cũ toto decennio varijs in Vrbibus forẽsem Iudicẽ egissem; cum deniq; Mediolanesi in Archiepiscopatu Vicariam in crimina potestatem exercuissem diutius, si quis a me humaniorum literarum

fructum

fructum aliquẽ expectasset, is profectò à solido, agrestiq; roboris trũco lilia etiã sperare potuisset, ac rosas. Verum queadmodũ quos arboribus Natura negat fructus, eisdẽ Ars, hominumq; industria, insitioq; concedit; sic quos mihi mea viuẽdi ratio bonarum artiũ surculos præciderat, Maiorũ exemplum restituit ne dixerim, an inseruit? Ecce enim dum quæ domi meæ asseruantur Maiorũ monumenta reuoluo, atq; inter cætera magni mei Patrui Magistri Fratris Nicolai Alexij, olim Hæreticæ prauitatis in hac Vmbriæ Prouincia Quęsitoris munere summa cũ sapientiæ, tum integritatis laude perfuncti, Philosophicas, Theologicas, Poeticasq; lucubrationes sedula mẽte percurro, incurrit in oculos volumen benè spissũ, in quo sui Prædicatorum Ordinis illustriora capita, eorũ res præclarè gestas heroico carmine cõplexus luculenter cõmendabat. Subijt illicò animũ, quã ille erga sui

Instituti

nſtituti nobiliores Viros curã impẽ
derat, ad Peruſinos Heroas tradu-
cere; nec illi oneri imparẽ me fore
putaui, quod a meis maioribus
hoc eſt a mei parte aliqua, nõ ſine
laude perlatũ vidi. vtinã cõſilio re-
ſpondiſſet euentus, nec aliquod co-
gnoſceretur cor inter, manũq; diſſi-
dium (ſed quam metuo, nè ingenij
culpa detritę fuerint eorũ laudes,
quos nullũ ſatis ingeniũ poteſt pro
dignitate cõmendare. illud ſaltem
conſequar, vt intelligant oẽs, opti-
mo Ciui ad honeſtãdã Patriã vires
quidẽ deeſſe aliquando poſſe, opor-
tunitatẽ nunquã poſſe, animũ nun-
quam debere. Vt verò conſilij mei
ratio palã omnibus fiat; illud mihi
propoſitũ fuit, ac conſtitutũ, vt ſtri-
ctim, breuiterq; eorũ res geſtas nõ
tam laudatione, quam narratione
percurrerẽ, quos Peruſia vniuerſo
Terrarũ Orbi, vel ſanctitate, vel ſin-
gulari eruditione colẽdos, vel egre-
gijs virtutib. admirandos, vel inſi-
gni armorum gloria timendos, vel
deniq;

deniq; prȩcipuarũ dignitatum luce spectādos dedit; & quorũ iam memoria, vel iniuria tēporum, vel incuria scriptorũ penè interierat, ad lucem proferrē, & ab interitu vindicarē. viuũt scilicet nomina cōsũptis etiã corporib. scriptorum industria & cum praeconem Virtus inuenit, elucet honestissimè, & ad sui amorē, imitationemq; allicit alios: si caret scriptore, aut delitescit in tenebris, aut penitus extinguitur. Quare & ijs ipsis, qui à me cōmemorantur, & eorum posteris tanti debet esse labor hic meus qualiscunq; quanti sēper à sapientib. nominis aeternitas ȩstimata est, quã, & sũmis laborib. & ingentib. periculis, & ipso sanguinē, ac vita sibi comparandam praeclarũ duxerunt. illud me saepe hac in re ancipitem varias in partes distraxit, quod inter praestãtissimos quosq; siue bello & armis, siue Togae studijs pacatisq; artibus alios quoq; minoris notae admisceam. Atqui etiã hi ingenti aliquo facinore,

re, & præclara aliqua dignitate Patriæ ornamento sunt, & cum eorũ gesta recẽseantur, Sapiẽtis erit, suã cuiq; pro gestorũ magnitudine, laudem adscibere; neq; enim æquare oẽs animus fuit, sed facta cõmemorare. Difficilius etiã nobis cõtigit nostrũ cõsilium, quod angustis vnius Perusiæ finib. cõcluditur, nec vt aliorũ, qui oẽm Terrarum ambitũ, omniumq; studiorum, & ordinum homines cõplexi copiosam sibi segetem, amplãq; materiã nacti sunt, in qua ingenium, & eloquẽtia latius excurreret. Accidit etiã, quod nos, non res in vita gestas suscepimus enarrandas (neq; enim nobis illæ nisi admodũ paucę innotescere potuerunt) atq; in eodẽ ferè argumẽto versamur in singulis, vt propter magnã rerum inter se similitudinẽ eędẽ semper videantur, de quibus scribendum fuit. quare tantũ abest, vt vlla varietate legentium animos oblectari posse putemus, vt etiam pręclarè nobiscum actum existimemus

mus, si eorũ, vel satietatẽ deuitau
rimus. id igitur nobis vt detur r
gamus ab iis, qui nostra hæc leger
nõ grauabuntur, vt si quid in re ipl
incõmodi accidat, id nõ ingenii v
tio, aut orationis ieiunitati sed Pa
triæ amori tribuãt. Cũ autẽ Viro
numero longè plures inuenissẽ, qu
initio mecum ipse statueram, necess
habui ex cõsilio Peritorum totum
opus plures in Cẽturias distribuere
quarum primã typis expressã vul
gandã antea decreui, vt si qua illã
sequetur lectorum approbatio, ani
mum mihi addat ad alias pari ra
tione proponendas. Cum verò om
nes ferè, quorum hic virtutes ce
lebrantur tribus proximè elapsis
sæculis vixerint (priorum enim me-
moria ferè omnium interiit) intel
liget facilè vnusquisq; quot hac in
Vrbe IV. ferè millium anno-
rum spatio floruerint, quando
breui trecentorum curriculo plus
quam quingenti omnium virtu
tum genere floruerint; vt si quę
laus

laus *Peruſinis* hominibus deſit, ea non noſtræ Vrbi, ſed humanę Naturæ deeſſe videatur. Noſtrum erit, quorum laudes admiramur, eorum virtutes imitari &, quibus gloriamur Maioribus, nihilo minores apparere, noſtroq; docere exemplo, *Peruſina* in Vrbe Virtutem propriam hominum eſſe, non temporum. Valete.



Auguſta

AVGVSTA PERVSIA.

EVndem *Perusia* agnoscit Parentem, quem genus humanum fatetur Instauratorem Noemum. Nimirum vt post immanem illam eluuionē *Deus*, suæ in homines pietatis argumentum, Iridem roridis collocauit in nubibus: sic Noemus humanæ felicitatis omen certissimum extruxit in collibus Turrenam Augustalem, eam in Vrbis nostræ partem, quæ olim Collis Iani Domus, nunc Landonus Collis dicitur, traducta prima Augustæ Vrbis iecit fundamenta; hoc est alterius velut Arcæ tabulata construxit, cuius ope in subsequētium sæculorū naufragio virtutes omnes integræ seruarentur, atq; trāsmitterentur ad posteros. Verū cum aucto incolarum numero subortæ inter Ciues seditiones Vrbem

ad huc in cunis vagientē opprimerent, ab eodē Noemo missus Osiris est, nēpe ad disperdēdas discordiarū tenebras legatus est Sol. Hic valida Aegyptiorū manu eā partem insedit, quā ab eiusdē cognomento, Portę Solis regionē apellamus; nec multo post Gryphonios Sagano Tarconte Duce ab vltimis Scythiæ regionib. Perusini soli fertilitas allexit; paulò post Turrenus eadē aeris felicitate, & terrarum abundantia captus, Turrenā partē, quę modò Burnea vocatur, ędificauit; nec multo post Acheos a Peloponesso, Caio Vibio Duce, eadem soli vbertas inuitauit, qu Achaichā regionem condiderunt Enim vero par erat, vt quemac modum amplissima mundi mole è quatuor primorum corporu complexione consistit, sic Perusi Mundi breuiarium è quatuor N tionum societate coalescerct. I sanè in Aegyptijs ignem, Ter soliditate

soliditatem in Tyrrenis, ip.r.bilem aeris impulsũ in Achaeis frigidissimam aquarũ temperiẽ in Scythis possumus agnoscere: quibus velut primis rerũ clementijs inter se digladiãtibus, eò tandem deuẽtũ est, vt perfectæ absolutæq; Vrbis formã induens *Perusia*, sacrorũ religionẽ ab AEgyptijs, Tẽpla a Tyrrenis, nomen & Gryphi insignia à Scythis, leges acciperet ab Achęis. Sic inter duodecim principes Hetruriæ Ciuitates adscripta, mox earundem princeps habita, in Romanorum tãdem municipium, postea deditionem deuenit. Atq; vtinam victorum liuore Hetruscarum literarum vsus sublatus omnino non fuisset, legeremus profectò in illis, quæ adhuc extant, monumentis, quanta olim gloria floruerit Perusia. Hoc vnum *Perusinæ* maiestatis argumentum satis esto, tantam fuisse *Perusiam*, vt illi Roma posset inuidere.

Alio postea Vibio adnitente multis aucta colonis, ac demum ab Augusto longa obsidione ad deditionem cõpulsa, subditis spõte facibus, atq; in cineres redacta vel victoris triũpho, spolijsq; inuidit, vel admissi in non suũ Principẽ criminis notã expiauit. Non solus Phænix rogum habet pro cunis, multarũ Vrbiũ fatũ est, vt pulcriores reuiuiscãt ex cineribus. exitio suo lætari Perusia potest, cum sic renata sit: ab eodẽ enim Imperatore ampliorem in formam redacta, locupletata molibus, mænibus quadrato e lapide præcincta Augustæ cognomentum accepit, nouo planè prodigio: vt quando victis ab Vrbibus titulos sibi decerpere Victores solent, vna Perusia, velut de Victore trimphãs insignẽ ab eo reportaret appellationẽ. Nisi siquis malit, quod pleriq; tradunt, Perusiam multo antè hæc tempora Augustã nuncupari

pari cæptã ab augurandi peritia, atq; auguribus qui indidē per vniuersã Italiã petebãtur. Quo postmodũ rerum cursu vsa sit Perusia, is tantũ referet, qui omnes fortunæ referre poterit vicissitudines; nunc enim domesticis agitata seditionibus, nunc Barbarorũ incursionibus vexata, nunc bellicis cõcussa turbinibus, sẽper tamen sibi similis, semper fato maior, semper inuicta, semper augusta suo docuit exemplo, laurum a fulmine ne minimè quidem lædi, quando sapiẽtiæ lauream inter belli fulmina armorũq; tonitrua intactam semper illibatamq;seruauit. Hoc profectò in Perusinis hominibus tam mirum est, quam in cæteris populis rarum, vt nec soli felix vbertas animos mollitia frangat, nec viuidi incolarum spiritus syluescere patiantur regionem, nec bellici tumultus literarum concentui obstrepant, nec bonarum Artium

remissio

remissio armorum aciem retundat; sed eadem in Vrbe, atq; adeo in domo rerum omnium copia cũ maxima industria, frugalitas cum vbertate, Mars cum Musis, otium cum negotio, versari, atq; ipsum penè dixerim bellum cum ipsa Pace in fœdus, pacẽq; descendisse videatur. Huc ergo ades Vrbs Vrbium Augusta, & quos tu in lucem edidisti partus ne dixerim, ansydera recognosce in maiorum gloria, rectèq; factis velut in speculo posterorum vitutes intuere: quam enim hucusq; experta es felicitatẽ, vt tibi in perpetuum rata esset ac stabilis, suo rerũ Imperatrix omniũ Deipara Virgo annuo obsignauit *De supranarratis, meminerunt F. Leãder Albertus in Italia. Põpeius Pell. in Annalib. Perusiæ. Cæsar Crispol. in Chron. Perusin. Io. Bapt. Laurus in Hist. Perusin. Scipio Ptol. in Epist. de orig. Perusiæ. Ludouicus Iacob. in Chron. Vmbr. in M.S. antiq. de orig. Per.*

Noe, ſeu Ianus Turrenę Auguſtalis Fabricator.

AB eo Heroum noſtrorũ Elogia ducant exordium, a quo ſuum Peruſia duxit initium. Noe alter ab Adamo humani generis Parens, poſt Terrarum omnium eluuionem, qua hominum ſcelera deleuit Deus, ſiue quia placuit Maiorum criminibus pollutas regiones deſerere, ſiue quia decuit Orbis dominum regnum ſuum luſtrare; Ducenteſimo, & ſexageſimo octauo ab eluuione anno in hanc regionem venit quam poſteri Hetruriam nominarunt. Hic arduo in Colle, cuius radices rigat Tyberis, qua parte Vmbros ab Hetruſcis diſcriminat, locum reperit, cuius & fertilitate, & amænitate captus eſt. Ergo bono

cum omine hic regiam sibi, Nepotibus Ciuitatem condidit, quam Augustalē Turrenā nuncupauit. In tāti Fūdatoris laudes excurrere, aut eius gesta pluribus referre, non patitur instituti operis breuitas. Hoc vnum dixisse sufficiat, eum Perusiæ fundatorē fuisse, cui Orbē reparādū ille ipse, qui pene extinxerat, commiserat Deus. Cæterum Perusini hoc grati in Autorē suum animi testimonium exhibuere, vt perpetua eius extaret memoria. Ab eius nomine Valles, Colles, Montes, Fontes, Pontes, Oppida nominarunt. Hinc Iani Collis, Iani Vallis, Iani Fluuius. quem Ianum profanæ vocarunt Historiæ, ipsum esse, quem sacræ Noemum apellant, pleriq; sentiūt.

De hoc supracitati scriptores.

Osiris

Oſiris,
ſeu Iupiter
Solis Regionis Peruſinæ
Fabricator.

OSiris eam Peruſiæ Vrbis partem condidit, quam hodie Solis montem vocamus. Fertur Cameſium habuiſſe Patrem, Ianum Auum, Auo ipſe ſimilior, quam Patri. Ex Lybia in Italiam venit,& amęnitate loci captus collem hunc inſedit. Quæ ex illius aduentu Peruſini percepere commoda, referre longum eſſet. quæcunq; ad agrorum, ac plantarum culturam ſpectant, ea ferè omnia ab Oſiri accepere: ſed illud illu-

ſtrius æquitatem ipſe ac Iuſtitiã in Iure dicundo cum eximiè coluerit, eandem voluntatem ad Poſteros trãſmiſiſſe viſus eſt. Ex hoc enim fonte promanarunt tot, tantiq; publici Iuris Interpretes æquiſſimi, qui Peruſinum nomen longè lateque cum gloria propagarunt. Vtinam hęc voluntas tãdiù in noſtris hominibus perſeueret, quandiù Iura ſtare neceſſe eſt.

Habetur in Epiſtola Scipionis Ptholomei, & in manuſcriptis de antiqua origine Auguſtæ Peruſiæ.

Tarcon
Saganę regionis fabricator.

TErtia verò amplificatæ Vrbis Peruſiæ gloria Tarconti debetur; qui poſt Arũtem Iani *N*epotem regnauit. Venerũt Arunte Rege primo, & vigeſimo ſupra quadringenteſimum ab eluuione

anno

anno, ex *Scythia* in Italiam Gryphonij, & proximum Turrenæ collem Saganum, quem hodie Sãſannum dicimus, occupauerunt, Tarcon vbi ſceptro potitus eſt, nihil habuit antiquius, quam ex Gryphoniorũ domicilijs Turrenę dignitatem, & maieſtatem augere. Debiliori facile, vt in potentioris vota deſcendat, ſuadetur. Tarconti aſſenſere Gryphonij, ille pomęrium protulit, auctamq; Vrbem quadrato lapide cinxit, ſtructura noſtris quoq; temporibus admiranda. At Gryphonijs honos habitus vt videretur. Turrenæ nomen immutauit, & Ciuitatem Scythica lingua Peruſiam, (nos Gryphoniam latinè interpretamur) appellauit. ſubindè Ciuitate conſtituta, lucum dicauit, quem hodie Fauaronem nuncupamus; quò ſingulis menſibus Hetruriæ Lucumones conuenirẽt, Principis iuſſa excepturi. Extat

ad huc agri, vbi lucus fuit, memoria, & Mons Lucius apellatur. Obijt Tarcon gloriæ maturus, & amplificata Ciuitate, Ciuiumq; aucta dignitate memorandus in paucis.

De hoc habetur in dictis Ptholomeo, Pellino, & manuscriptis antiquis.

Turrenus Burneæ regionis fabricator.

TVrrenum, olim Torebum Atonis Lydiæ, atq; Męonię Regis filium, Patrię calamitas, Perusinę Vrbis amplificatorē fecit. Agebatur ducētesimus a Pelasgorū Perusiā aduētu annus, & post primum aduentū Iani in Italiam An. 603. cū Terræ sterilitas, & ex ea nata fames

mes, Lydiã exagitauit vniuersam. Necessitas persæpè virtuti viã aperit. Turrenus cũ extra Patriã calamitate pelleretur, statuit virtutis suffragio, alieno in solo regnũ adipisci: ergo lectissimis iuuenibus stipatus nauigauit in Italiã. Florebat ea tẽpestate Perusina res, & Perusinorũ nomẽ Italiæ plausibus celebrabatur: itaq; optimũ Turreno visum est, tantorum virorum amicitiam tentare. Virtus facili negocio vnit animos, quos ipsa regit. Perusiam vix venit Turrenus, & non modò amicitiam, sed Ciuitatem sibi suisq; obtinuit. incoluit eam partem, quæ occidentẽ solem spectat, olim Turrenam nũc Burneam dictam. sub hæc communi cessit fato is, qui Perusiæ regnabat, & Turrenus vocatus est ad solium, quia Virtus credebatur corona dignissima. Constitutus, in Solio Regis partes expleuit abundè, armis Regni fines lon-

gè

gè, lateq; produxit. Hinc Mare olim Hetruscum, deindè Tirrenũ dictum est, & Tirrenorum regnũ ab eodem nomen accepit.

De hoc habetur in nouissimè supracitatis.

Caius Vibius Achaicæ Regionis fabricator.

CAius Vibius ex Peloponesso in Italiam Coloniam traduxit; Perusiam cum venisset, à Perusinis exceptus perhumaniter, sensit, eam opportunam esse aduenis sedem, quam indigenarum humanitas commendaret. Ergo nouis colonis locum petit à Perusinis, & obtinuit extra Vrbis Pomerium ad septentrionem.

Vrbem

Vrbem quam condidit Achaicam Vibius dixit; posteri iam Perusiæ ambitu inclusã Conchã vocãt. Nihil optabilius Reip. quã Ciuiũ virtus: ex illa Reip. decus emanat, gloria propagatur. Vibius virtute bellica clarissimus, post conditam Vrbẽ in hos, & illos arma dũ circũfert, Italia tota Perusini populi nomen fecit illustre. Extat in hanc diem per illũ amplificatæ Perusinę glorię monumentum maioribus literis non vno loco insculptum. Vtinam cuius nomen marmoribus inscripsere; virtutẽ Nepotes imitatione transcribant in animos.

Meminerunt supracitati scriptores alÿq.

Adrianus

Adrianus I. Balionus Morgantes dictus

FAlleris quisquis existimas proceritatem corporis, qua Gigantes fabulosis Poetarum carminibus celebratos, facilè æquabat, Morgantis nomen Adriano indidisse. ingens animus procero in corpore, & indomita bello virtus, qua omnes ęui sui Duces facilè superauit, honestissimo hoc cognomento decorarunt. Quo factum est, vt nobilissimæ Hętruriæ Resp. Florentina: & Senēsis summum suorum exercituum Imperatorē certatim eum adsciuerint: quarum hostes haud ægrè deuictos, pacis condiciones petere coegit. Sed qui pacem foris peperit, bellum domi inuenit: nām scelestissimorum quorūdam Ciuiū insidię, qui summę gloriæ, quam sibi bello rebus pręclarè gestis quęsiuerat

quęsiuerat, inuidebant, impia cõspiratione Guidum Patrem, Astorrem, ac Sigismundum Fratres insignes bellatores, oppresserunt. quorũ vindex ipse cũ Ioanne Paulo Patruele tam pertinax fuit, vt illicò profligatis hostibus Patriæ dominatum cum fratre ad vitæ exitum tenuerit: qui omnium męrore sane immaturus obuenit in Castro Paciani anno M D I I eius cadauer Perusiam delatum, sumptuoso funere in sacra Diui Francisci AEde humatum est, Francisco Maturantio de tanti Viri laudibus perorante.

Habetur in Annalib. Põpei Pellini, & Crispolti, Lauri, & Ludouici Iacobilli, & in manuscriptis antiquis

Adria-

Adrianus II. Balionus.

NEmo ex his, qui hac nostra ferè ætate ex Italia in exteras Regiones aliquid præclari nominis militię consequuturi profecti sunt, Adriano secundo illustribus factis clarior extitit. Nã Gallias, & Pannoniam suæ glorię materiem nactus; facilè explicari nõ potest, quas clades hostium ediderit, quos exercitus profligauerit, quas Vrbes acerrimè defenderit, quas Arces fortissimè dimicans manu ceperit. Quibus rebus præclare gestis, totius exercitus acclamatione, quam honestissimo nomine decoratus sit; testis est Viẽna Austriæ fortissimum Germaniæ propugnaculum contra innumerabiles copias Solimani, toto ferè Orbe inspectante, fortissimè defensa: testis est ipse Maximilianus Cæsar, qui hunc præcipuè elegit

git totius exetcitus strenuissimi bellatorem, quem præficeret Al selectissimorum Equitum, in qu Alphonsus Estensis Ferrariæ Dux multiq; Italiæ & Germanię principes suis sumptibus militabant: qui & Moderatorem, & Ducem nobilissimum libentissimè suscepe-runt. Sed bello ex sententia confecto, in Italiam reuersus, à Gregorio XIII. Pont. Max. electus est, vt post Ducem Iacobum Bõcompagnum, Ecclesiasticis armis prę-esset. Tandē plenus gloria, non sine bonorum lacrymis, Romę viuere desijt, anno MDLXXIV. dum annum ageret XXXXVII. qui per ora Virorum viuet æternum, rerū præclare in Hetruria, & maximè in Gallia gestarum fama, in qua suæ ætatis Roggerius vocabatur: sic splēdida nobilitas, si alienæ Virtuti subijciatur, auctione splendidiore perficitur.

De hoc præcitati scriptores.

Aga-

Agamemnona Pinna.

PRo Familię instituto vix dum pubes Ag memnon prim sub maximo *Du*cum *B*racchio stipendia meruit, apud quem non ob sagacitatem mirus, quam ob fortitudinem in admirationem venit. itaq; vix vnquam aliquid, nisi in Agamēnonis consilio tantus *Dux* decernere audebat. vtinā ex Aquilano prælio, vt illius sententiam exquisiuit, ita eam sequutus fuisset: næ ille & prælio victor extitisset, & bello; & quod fortuna spōdere videbatur, totius fermē Italiæ imperium adeptus fuisset. A Bracchij morte Agamemnon in Patria substitit, sibiq; facilè Ciuiū beneuolentiam conciliauit, quia Ciuitatis splēdorē auxerat, & quia Ciuiū amor debitū quidē, sed impar Agamēnonis virtuti præmium erat. Eugenius IV *Pont.Max.* qui

tunc

tunc Florentię degebat, potiorem Agamẽnone neminẽ existimauit, qui Italię pacẽ posset cõponere. summi Antistitis ad Nicolaũ Piciniũ Mediolanensis exercitus Imperatorẽ, renunciatus Orator effecit, vt fędus inter pręcipuos Italię Principes iniretur, Ductore eodem Picinino, cui Principum iussu per manus eiusdẽ Agamẽnonis Perusię triũ exercituũ Vexilla tradita sunt maximo Ciuitatis plausu, & frequentia. Re bene gesta Agamemnon ab eodem Picinino Asisio, Thipherno a Perusino Senatu, Nursię ab Apostolico Legato pręficitur: neq; enim vnius Vrbis demandanda erat administratio ei cuius prudentiam Orbis suspexerat vniuersus. illud inprimis Agamemnoni præclarè accidit, omnium sæculorum memoria recolendum, vt morti iam proximus, viæ vitæq; melioris veluti demonstratorem haberet Beatũ

Iacobum



Iacobum de Capiſtrano. Itaq; *Diui* Franciſci familiæ adſcriptus, hoc eſt in album militiæ nobilio ris relatus; humanæ gloriæ non magis, quam diuinæ ſpei plenus in *Patria* deceſſit anno MC*DX*LI. ibiq; magnificentiſſimè ſepultus eſt.

De hoc vt ſupra:

B. Alexander Vinciolus Epiſcopus Nucerinus.

CLariſſimorum *Procerũ*, a quibus originem traxit Alexander Vinciolus, heroicæ virtutes, atq; præclarè geſta, vt ſummo ei ſemper honori, ſic maximo fuerunt horrori, tanquam certiſſima impedimenta, quibus ad Beatarum mentium domicilium contendentibus obſtruitur aditus. di-

gnitatibus

gnitabus, quò dignior, eò hostis infensior: sciebat enim, grauiori casu collidi, quod de sublimi ceciderit; nec tam ad inane Principis nomen, quam ad curas metusq; inuisos scilicet animorum tortores scandunt, quot quot dignitatum tenent fastigia. inani hac luce dignitatum, vt se subduceret longius, inter Diui Francisci *Patris* maximi se familiares recepit, tum maximè dignus imperio, cum imperare maxime recusabat. Sed primatus, qui teste Sanctissimo Hieronymo, virtutem velut vmbra sequitur, & appetitores sui fugiens, appetit contemptores, e latebris Alexandrum euocauit ad lucem; quem Ioannes XXII. summum *Pæniten*tiarum creat, & die 22. Maij 1327. Sacris Nuceriæ Vrbis præficit, vt inuitus multis esset dignitate maior, qui sponte omnium erat humilitate minimus. Postea vt illustris

illustris exemplo virtutis præiret, omnibus, qui insigni sanctitatis, & dignitatis titulo cæteros antei-bat, suam in posterum vitam ve-luti in speculo constitutam debe-re publicè magistram esse disci-plinæ arbitratus, sui negligens, alienis commodis semper inuigi-lans. Nuceriã ac Sentinũ suis pre-cibus, & vigilantia a peste liberat atq; ita sibi virtutes pietate cõ-parauit omnes, vt Sentini, non tam annis quam maturus meri-tis extinctus anno 1362. ingenti a Saxoferratensibus luctu fuerit se-pultus: non enim citò arescunt la-crymæ, vbi ingentia beneficiorũ flumina præcesserunt

In Chronicis Diui Frãcisci par. 1 Fr. Daniel Perusin. in Catalogo Sanctorũ, & Beatorũ Ord. Min. Ludouicus Iacobillus in Vitis Sã ctorũ, & Beatorũ Prouin. Vmb.

F. Lucas

F. Lucas Vuaddingus in Annalibus Minorum to. 3. Celsus Placidus in Vitis Sanctorum Diocesis Nucerinæ, & Durantes Dorius in Historia Episcoporum Nucerinorum.

B. Andreas Benincasius de Catrano

Beatus Andreas Benincasius, seu Ansideus de Catrano, in Prędicatorum Familia martyrio, & doctrina clarus extitit, qui diuersis per Italiam administatis Cænobijs, diuini verbi semen, quod vbiq; disseminarat, suo tandem cruore rigauit. sacri ieiunij ferias aqua tantum, & pane traduxit, & diuturna peregrinatione delatus in Scythiam, cum Euagelium Christi euulgasset, post acerbissimos cruciatus obtruncandus in forum traducitur, vbi ea Augustini verba inclamans, Te martyrum

cãdidatus laudet exercitus, Martyrum cætui adſcribitur.

F. Leander Albertus, & F. Seraphinus Razzius in Vitis Sanctorum, & Beatorum Ordinis Prædicatorum. Pellinus in Analibus Peruſiæ. Ludouicus Iacobillus in Vitis Sanctorum, & Beatorum Prouinciæ Vmbriæ.

Andreas Bontẽpius S.R.E. Cardinalis.

BOntẽpij virtus fortunam nacta comitem, tanto quidem conatu in humanioribus literarũ ſtudijs, & naturalis philoſophiæ diſceptationibus ſe ſe exercuit, vt docti Viri Andream ad tantum ſapientiæ faſtigium perueniſſe mirarentur. Ius ciuile dum diſcendo

do lustrat illustrat, exinde laurea decoratus concessit Romam gloria euocante, gratiosus in primis fuit Cardinali Archiepiscopo Bariensi, qui pontificatum adeptus Bontempiū in purpuratorū legit Senatū, ne sacra purpura Patrum pudorem exprimere cogeretur, dum Perusina tantum insula ornatum viderent eum, in quo exornando, neq; Natura, neq; Ars modum adhibuerant. Dum apud Picenum legati munere fungitur, Recineti moritur āno MCCCXC vt mortalis crederetur is, quem immortalem res gestæ prædicabant.

Habetur in Annalibus Pompeij Pellini, & in Alfonso Ciaccone, & in Panuinio in Vitis Cardinalium, in Platina &c.

Angelus I. de Vbaldis I.C.

ANgelus Fraternæ æmulator glorię, vix vigeſimū attingēs annum, & non dum doctrinę ornatus laurea; ſumma cū laude diſceptantiū cōtrouerſiis patrocinatus, mox laurea donatus, omnium eruditiſſimus, & vbiq; Terrarū celeberrimus *P*eruſiæ, Bononiæ, *P*atauij Ius ciuile publicè docuit, & multa de eo argumento volumina, quæ omnium *P*eritorū in manibus ſunt, ſcripſit. Vir Iudicij, doctrinæ præſtantia non ita Baldo Fratri, ipſa vt ętate inferior; plane nulli ſecundus, quia Fratre non minor. Deceſſit à nobis A. D. 1423.

Habetur in Annalibus Pompei Pellini, Cæſaris Criſpolti, & Iacobilli, & in libris ab ipſo Angelo editis

B. Angelina

B. Angelina Corbaria ex Comitibus Marsiani, & Montis Iouis, Institutrix Monialium Tertij Ord. S. Francisci de obseruantia in Italia.

ANgelina, nomine in omen versο, non humanam duxit, sed Angelicam in terris vitam. Puellares quippè delicias, & crepundia nobilitatis exosa, blandiente licet hinc Matre Anna de Monte Marte Comitissa Corbariæ, hinc Patre Iacobo Angelelli, Marsiani, Montis Iouis, Milliani, Carnaiolę, Parrani, & aliorum locorum Comite, auita Domus decora ostentante, Virginitatem Deo vouit, & quãquam Ioanni de Thermis Giuitellæ Aprutij Comiti vxor data

tamen

tamē eā ſeruauit illęſam; ſuo oſtē-
dens exemplo, virtutem eminere
periculis, nec poſſe cogi. At elato
mox Viro, extulit ſe ſe, ac velut
obice remoto, latius, lætiuſq; vir-
tutum flumine inundauit. Igitur
ſuas Viriq; facultates pauperibus
elargita, aut fænori dedit, aut do-
tale munus obtulit Chriſto: ſimulq;
e turba ſecedens in Clauſtra, fa-
ciliorem indè traiectum in Cælū
parat; niſi aut Cæli inſtar ſit Clau-
ſtrum, aut parem Cælo ſedē ipſa
ſibi facere poſſit vbiq; Diui Fran-
ciſci aſſecla iam tum initio tirun-
cula Veteranis præibat religione,
moribus; ac breui cęterarum Mo-
deratrix facilè diſciplinā reſtituit,
A. D. 1395 Monaſteria 16. ſui in-
ſtituti in Italia ædificauit. *Pri-*
mum fuit Fulginiæ, ſub titulo S.
Annæ dum alijs pręcipit exem-
plo, factis docet. Hinc & mira-
culis inclaruit, quæ vitæ ſanctita-
te

te inclaruerat; & imperium non in morbos tantùm, sed in ipsam quoq; mortem exercuit, Dynastę Neapolitani filio vitæ restituto. Pro meritis tamen calumnias referens, Ladislao Regi falsò delata igni damnanda prunas suometipsa deferens illæsa sinu, ignem extinxit inuidię, glorię excitauit documento illibati candoris niues inter incendia Diuini Amoris mortali igne lędi non posse. At iam Deo matura, plena meritis ætatis anno LIV. salutis Christianæ MCDXXXV. 14 Iulij viuere desinens terris viuere cępit Cælo: quin & terris viuit, viuetq; quandiù pietas, & religio, in memoria temporũ, ęternitate famę. Fulgineæ tumulata fulget: lucem accepit sepulcrum, non dedit.

De hac Beata habetur in Vita eiusfuse scripta à Ludouico Iacobillo I.V.D. Fulginate, & in

Gonzaga histor. Seraph. in F. Antonio de Sillis, P. F. Luca Vuaddingo, & Cron. Ordin. Min. part. 3. & part. 4. in F. Mariano de Florentia, in Annalibus Perusiæ, & Vrbis vet. & in antiquis Instr. & M.S.

Ascanius I. Corneus.

TE verò, Ascani Cornee Heroum fortissime, is vnus poterit verbis expingere, qui tantus fuerit stylo, quantus tu gladio. Tibi siquidem par Orbi terrarũ pectus indoles laboris pariter, ac fidei capacissima, animus militarium officiorum patiens non minus, quam peritus, mores vigore, ac lenitate mixtissimi. Tibi vigilantia, cuius beneficio in eam partem destinatus, in quam a periculis vocabaris, vbiq; aderas, tibi celeritas, qua Celeris cognomẽtũ, & si non tulisti, meritus certe

es

es iustius, quam Metellus, quando ille hostes anteuertit, tu famam. Tu manu vltra militẽ promptus, consilio strenuus vltra Ducem, inter Oratores fortissimus, inter Imperatores eloquentissimus. Quæ omnia illustria sanè decora licet diem suum tibi facere possent, vel sine sole nobilitatis, collocata tamen Deus voluit in præclarissimo Corneæ familiæ lumine, quam vti Corneliam Venetam, ad veterem Corneliorum, Scipionumq; gentẽ non magis Historicorum testimonium, quam posterorum virtus refert. Primis tanti Viri conatibus obsistere ausa est fortuna, verita, ne in Ascanio a virtute vinceretur. Ergo Casali Monferratensi capto, Ascanius acriter pugnans altero captus est oculo, nouus postmodum Annibal futurus, & antiquo maior, eo nomine quod ille inter Alpium Aretij niues, hic inter Martis ignes, ac ful-

mina tantam passus est iacturam, quam tamen egregiè rependit Ascanius dum audacia vsus pro oculo, pictorum more tenebris illis suarum virtutũ colorem pulcrius illuminauit. Nam non ita multo post ad singulare certamẽ cum Iannino Thadeo Florentino strenuo fortissimoq; Duce, quique ex altera monomachia eodẽ Ascanio Prǽside, & auspice victor euaserat, intrepidus descendit, destinatoq; gladij ictu (missile telum altero clauso oculo vibrasse dixisses) oculatissimum hostem illæsus ipse confecit. Hoc tamen prospero certamine, atq; vnius hostis cæde ad Vrbium exercituũq; excidia imbutus, in Classe ab Ariadeno AEnobarbo pænè demersa, mox Ianuæ, Perpiniani, Paliani, in Germania deniq; tã alta impressa reliquit bellicæ fortitudinis vestigia, vt quot ferè Christiani Orbis partes sunt, totidem fecerit monu-

monumenta virtutis suæ. Hinc factum est, vt tanti Viri fama laudes magis semper, ac magis, nūquā tamen satis prædicante, Senensi in bello ab Hispaniarum Rege, & à Cosmo primo Hetruriæ Duce, cum alter alterius consilium nesciret, equitatui summa cum potestate præficeretur. Sed dum apud Clusium strenuè rem gerit proditus a transfuga, in Strotij manus venit, qui Ascanio capto, non hominem, sed ipsam à se captam victoriā gloriabatur. Ascanius verò in Galliam missus, tanto cum apparatu, plausuq; exceptus à Rege, Aulicisq; est, vt nouo planè exemplo inter hostes, & quidem captiuus triumphauerit. Postea à Ferdināndo Romanorū Rege quatuor millib. equitū totidēq; peditibus præponitur. Ab Auunculo Iulio III. Pont. Max. Ecclesiastici exercitus Imperator renūciatur. A Marcello II. eodē munere ornatus

quod etiam duobus interregnis summa cum laude administrauit, vt nullus propemodum verè princeps esse videretur, qui sua Ascanio signa non crederet; crederet nullus, qui victoriam palmãq; nõ reportaret. Verum nunquam fortius, validiusq; erumpit fulmen, quã vbi densioribus nubibus obsidetur: *Paulus* enim IV. licet Fulnio Cardinali Perusino, quem aduersum in adipiscendo Pontificatu fuerat expertus, esset infensus; licet proseminatis à Cardinali Caraffa suspicionibus velut manu reprehenderetur, iussit tamen Ascanium in Neapolitana expeditione Ecclesiastico equitatui preesse. Verum cum obtrectatorum fraude augerentur quotidie suspiciones, mittitur *Põtificis* iussu Tarquinius Capizucchius, qui Corneum captiuum sistat. Quarè necesse habuit Ascanius, licet innoxius, se se periculo subducere. Enim verò

strenui

ſtrenui Duces glorioſius fugiunt, quam vincant ignaui. Tam nobili ſiquidem ſplendidaque fuga eluſo Capizucchio, ac ſexcentis, qui cũ eo erãt, militib. portarũq; cuſtodib. elapſus eſt, vt facile cuiq; liceret aſſequi coniectura, quantum pugnando poſſet, qui tantũ potuiſſet fugiendo. ergo ab Albano Duce honorificè exceptus, admoto propius exercitu Vrbẽ terruit, quam non ita pridem fugerat; planè oſtendens, non ferrũ, aut hoſtem a ſe timeri, ſed inuidiam. Tandem concordia inter Pontificem, atq; Hiſpaniarum Regem inita paſſus eſt Paulus Aſcanium quamuis antea pertinaciter exemptum, ſub pacis vmbra conquieſcere. vtq; illius otium eſſet cum dignitate, cuius negocium fuerat cum periculo, honeſtiſſimis conditionibus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege regium in Conſilium adlectus eſt. At Pio IV ſummo

summo Pontifice splendere Corneo paulisper fortuna visa est, nã quæ post Pauli IV. obitum adẽpta bona, ac ditiones cũ aliquot militum turmis redemerat, à Pio optimè redempta declarantur; splendor tamen ille vitreus fuit, ac perindè tunc maximè fractus est, cum splẽdebat maximè. Accusatorũ eius suspicionibus quod ab eo perpetratum esset homicidium, irritatus Pontifex, Ascaniũ in Adriani molem coniecit. Sed qui vnius principis iussu cõiectus fuerat in carcerem, omnium Christianorum principum votis precibusq; solutus est; cum enim Melitę, hoc est Insularum Soli defectum Thracia Luna minitaretur, vnus delectus est Corneus, qui imminẽti occurreret periculo, quod supremum Castrorũ Præfectũ agẽs validis munitionibus instructa Insula ita perfecit, vt nec sperari aliquid maius posset, nec spei responderi

ſponderi felicius. Eandem poſtea Præfecturam Neapolitano in Regno, eandẽ adminiſtrauit in Claſſe illa celeberrima, quæ ad Echinadas Othomanum etiam robur perfringi poſſe docuit, cuius expeditionis, victorięq; pars magna Aſcanius fuit. Nec ita multo poſt Romam, hoc eſt Cæli ſuburbia repetens, Cælum ipſum, vt par eſt credere, inuenit anno MDLXXII annum agens ſextun ſupra quinquageſimum. Et Profectò tam magna Clade Turca profligato, cum nihil Aſcanio ſupereſſe videretur quod vinceret, nihil etiam ſupererat propter quod viueret, cum illi idem fuerit viuendi curſus ac vincendi.

Aſcanius II. Corneus Marchio.

HIc totum Auum mira ſimilitudine expreſſit, ad maioris

Aſcanij

Afcanij exemplar ita conformatus, vt ifpemet pofteris effe poffit exemplar. Teneriores Adolefcentiæ annos nobiliffimarum Artium ftudijs expoliuit, ratus indignum effe de hoftibus prius, quam de infcitia triũphare; aut hebetiorẽ ingenij aciem præferre, quam gladij. Ergo Philofophicis difputationibus prolufit ad acierũ congreffus, Mathematicum puluerẽ percurrit, vt bellico in puluere non indecorè fordidus fplendefceret. Poeticam lauream omen habuit laureę martialis, fuoq; confirmauit exemplo, quod fapientiffimi olim Viri docuerũt, Cicnos non magis canoros, quam pugnaces, atq; ipfis etiam Aquilis robore, & generofitate meliores. Enim vero Afcanius Dux ante quã miles, centum grauioris armaturæ equitibus felectiffimis præfectus, atq; in Gallias à Gregorio XIV, miffus, prima militiæ rudimenta

tam benè cum suis, tum hostibus adprobauit, vt licet adolescens à Montis Marciani *Duce*, cui Ecclesiæ milites erant commissi, inter Consiliarios adlegeretur, & dimisso Pontificio exercitu, ab Henrico IV. qui etiam in senioris Ascanii laudibus multus fuit, vt honestissimis cōditionibus suis, sub signis stipendia faceret inuitaretur. Sed Itala Cornus non benè inter Gallica lilia viguisset: illa enim in agro, cui benedixit Dominus, hoc est in Pontificiæ ditionis campo radices iam pridē egerat, hęc adhuc inter hæresum dumeta latebant, noudum Romani Præsulis passa culturā. Ergo lilia quidē, sed Farnesiana sequutus, Belgium petiit, atq; sub Alexandro Farnesio eos fecit in militari disciplina progressus, vt nescias æquius tanto alumno Alexāder, an Ascanius tanto possit Pręceptore gloriari. Auenionensium

deinde

deinde armorum, & militum supre-
ma cura à Clemente VIII. Ascanio demandatur, vt paulo ante *Diomedi Patri* concessa fuerat. Ab eodem cum Ioanne Francisco Aldobrandino Ecclesiastici exercitus Imperatore in Pannoniam mittitur, tam felici euentu, vt à tribus præcipuè militum millibus, quibus Ascanius præerat, Strigonia fuerit in Christianorum potestatē redacta. Tandē Ferrariensi in motu cum quindecim peditum signa coegisset Ascanius, omnes leuioris armaturæ equites, duasq; grauiores alas summa cū authoritate regendas accepit. Tāta Viri fortissimi virtus Venetorū Patrū prudentiæ oculos sollicitauit, qui nullis non honestissimis cū pollicitationibus pellexerunt, sed obstitit Pōtifex, æquum ratus tātę virtutis germen non sub alia, quam suorum Syderū luce succrescere. Clemente demum è viuis sublato,

cum

cũ iam ſupremi Eccleſiaſtici exercitus vices adeptus eſſet, atq; egregiè impleſſet Aſcanius XXXV. ætatis anno qui fuit Domini 1606. moritur. Si annos cenſeas, diuturniorem vitam meritus, ſi triumphos numeres, iam pridē Cęlo dignus, cum ita ſit Natura comparatum, vt quiſquis in adoleſcentiæ aura meridianam inuehit virtutis lucē, in ætatis meridie vitæ patiatur occaſum.

Sāctus Aſclepiadorus Epiſcopus Peruſinus.

ASclepiadorus, & Ciuis fuit, & Epiſcopus Peruſinus; qui non minus caritate, quam ſapientia armatus, admiſſis vltro in ſuum pectus vulneribus, Barbarorum perfidia cæſa, & ſanguinis luuione ſylueſcente, horrenteq;

miſera

misera sterilitate tum Patria fæcundata, quam vile sit corpus iis, qui ad cęlestem gloriam fidei via nituntur, apertè demonstrauit. Tantæ verò gloriæ angustum Augusta Patria aperuit Theatrum, occlusit sepulcrum. sed illius ossa nullibi inuenta, certè cuius animus ad humanos honores, & põpas nunquam patuit, vel corpus latuit. Fama est, Theodoricum Archiepiscopum Metensem, adnitente Ottone Cęsare, ex hac Vrbe ademisse: fortassis, vt quem non viuentem, mortuum saltem externę nationes colerent, ac venerarentur.

De hoc habetur in Catalogo Sãctorum Petri de Natalib. Episcopi Esquilini lib. xi. cap. 76. referũt Cardinalis Baronius, Abbas Ferdinandus Vghellius Ludouicus Iacobillus in Vitis Sanctorum Vmbriæ; & Fuluius

uius Mariottellus in Vitis Episcoporum Perusinorum.

Astorres I. Balionus

QVãtum bellica laude pugnacissimus Astorres Guidi filius antecesserit reliquos suæ ætatis Duces, facilè intelliget is, qui res ab eo pro Patria pugnante fortiter gestas considerauerit attentius. Induerat arma factiosissimus quisq; è Perusino Populo, vt nobilissimos eius Vrbis Ciues per vim Patria expelleret: iamq; omnia tumultu, armis, & sanguine redundabant, cum Astorres, assũptis Balioneæ familiæ pugnacissimis iuuenibus, in forum armatus irrupit, & seditiosorum ingenti edita cæde, reliquos ita perterrefecit, vt infuturum nihil noui tentantes quietè, pacificèq; vixerint. Sed tunc se ipso maior verè apparuit

apparuit, cum veluti nouus Horatius Cocles, Oddorum familiæ impetum solus sustinuit, quę fortissimorum militum succincta globis, atq; omnia sanguine, & funeribus funestans, forum ipsum per vim occupauerat, donec occurrente inuictissimorũ Balionę Domus iuuenũ magno agmine, hostiũ non solum irruentiũ impetum retardauit, sed etiã *Perusia* excedere coegit, quos Astorres victor eodem impetu insequutus ad Thrãsimenũ vsq; lacum, & munitissimã eorum Arcẽ, in quã confugerant, & acerrimè propugnabant, manu cepit, & hostibus planè profligatis optatam in Patriam pacẽ inuexit. In quam reuersus triũphantis in morem bonorum omnium lętis acclamationibus excipitur. Hinc à Florentina Rep. vt exercitui cum imperio præesset, Florentiam accitus, in eius tuenda libertate, & ditione augenda non minus quam

manu

manu promptus, prudentissimum fortissimumq; Ducem se præbuit. Tum ingentis gloriæ honestamentis maximè spectabilis in Patriam regressus à nefarijs hostibus vna cum Patre, & Sigismundo fratre, dum noctu cũ Sponsa Columnensis sanguinis indulgeret quieti, impiè obtruncatur, Vir planè tali exitu haud vnquam dignus; nisi Viris magnis tunc maximè mors accideret opportunè, cũ ad summum gloriæ apicem rebus præclarè gestis peruenerunt.

Astorres II. Balionus.

QVo nam præconio te exornauerim, Astorres Balione mortalium fortissime, siue in Gallia contra Dei, & Regis Perduelles acerrimè pugnãtẽ videro, siue in Vngaria Turcarũ Christiani no-

nominis infestissimorum hostium Campos sanguine, & cadaueribus implentem suspexero. Sed hæc sunt prima tuarum laudum rudimenta. Te regnum Cypri fæcundissimus gloriæ tuæ campus expectat, quò inter Venetos Ciues summo cum honore adscriptus, à sapientissimo Senatu cum imperio missus, in ea tempora incidisti, cum Selimus Solimani Filius Turcarum Rex insana dominandi cupiditate incensus, regnũ illud inuasit. Quare Famagustã defendere iussus, eam Vrbem cõstantissimè contra innumerabiles Turcarum copias ad extremum vsq; spiritum propugnasti. Et primo quidem hostium exercitui occurrendum ratus, eorum tria millia ad internecionem deleuisti, hos in hiberna abeũtes, minutis prœliis mirè vexasti; Famagustæ incenso cuniculo ingentem eorum hostium cladẽ edidisti, eruptione

facta

facta Turcas ferociter resistentes gloriosissimè rapto etiam vexillo in fœdam fugam coniecisti. Sed fortuna magnis Viris non rarò infesta, ad summa tot præclarè gestorum cursibus properantē, acerbissimè perculit: nam dum cum Mustapho summo Turcarum exercitus Imperatore, vna cum Antonio Bragadino Patritio Veneto, de deditione diligentius agit, per summum scelus, contra datā fidē, abscisso Capite trucidatur anno MDLXXI. Nimirum stare se diutius nō posse impia Tyramnis probe tenebat, te superstite. Viuebas Astorres, vt omnibus prodesses, quibus exemplū tui proposueras, hoc est regulam pugnandi fortiter, legem patiendi constanter, speculum suauiter imperandi; & moreris, optimè noscens, pro Patria mori, Romanum esse; sed pro Auita Religione, & aliena salute, Perusinum.



Baldus de Vbaldis I. C.

BAldus omnis ætatis Iurifconfultorum, & fublimitate ingenij, & vario doctrinæ genere facilè præftantiffimus, vt cui adhuc puero arguenti refpondere ex improuifo Bartolus ipfe nequiuerit, fed in craftinum diftulerit diem; eodēq; abfente Gymnafiū, quāvis frequens, vacuum apellare cō fueuerit. Poft difficillimam legē centū Capuæ XV. ætatis anno explicatam, vno & vigefimo de Pactis Tractatum editum, Perufiæ, Bononiæ, Patauij, Ticini, per annos fermè quadraginta, Ius vtrumq; profeffus eft, & fcriptis quāpluribus illuftrauit. Clementi VI. fummo Pontifici egregiè carus fuit, qui fororis filium Cardinalem adolefcentem Perufiam ex Gallia fub eius difciplina erudiēdū mifit, qui pariter & ipfe Pontifex renun-

renunciatus, & Gregorius XI. appellatus, Præceptorem Baldum adeo obseruauit, vt ei non solum Ciuitatem Castri cum Iurisdictione donauerit, sed eius potissimũ hortatu, vt testes temporum loquuntur Historiæ, Sedem Apostolicam Auinione Romam retulerit. Baldus tandem de familia, Patria, studijs literarum, & de ipsa Christiana Republica optimè meritus, cuius causam diuino edito Consilio scismatis pro Vrbano VI. mirificè iuuit. Senio tandem confectus, sed cuius nomen nulla sit confectura dies, Ticinij obijt anno sacro MCD. & magno funere in sacra Diui Francisci æde sepultus est. In eiusq; Tumulo hoc rude disticon sculptum fuit, quia præcellenti virtuti vẽdibili comẽdatione non est opus.

Conditur hic Baldus Francisci tegmine fultus
Doctorum Princeps Perusina conditus Arce.

De eo Baptista Platina, Abraham Bzouius, Palmerius, S. Antoninus hist. & cæteri scriptores.

Baldus Nouellus de Bartolinis I. V. C.

TV quoq; Perusini Baldi, non nomine tantum, sed doctrina vtriusq; Iuris, & virtutis æmule opulentissime, Bartolinę familiæ fulgētissimū sydus, nā legū doctrina à Parente Honufrio peritissimo, ornatissimoq; tibi indita, Baldi hoc est Iuris prudentiæ auspicatissima appellatione, in docēdo maiestatem, in enodandis difficultatibus eam eruditionem es assequutus, quę tantam nominis mēsuram impleret. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas, celeberrimum Antiquitatis adagium vsq; adeo candidis

moribus

moribus expressisti, vt Veritatis Doctor linguis omnium, scilicet voce veritatis nũcupareris. Prędicabunt in posterum sapientiam tuam prælectiones Iuris Ciuilis, & declarationes legum Codicis, & Digestorum à te elucubratæ, nec non Tractatus ille celeberrimus, atq; apprimè vtilis de Dote impressus, in quo non minus Bartoli perspicacitatem, quam Baldi [illegible] viuere quisq; sapiens eruditionem [illegible] assueuerat. Viue igitur in elucubrationibus tuis, Patriæ ac Familiæ splendor, eoq; fulgens magis, quo celerius extinctus. Viue Iustitiæ propugnator, oppugnator iniuriæ, nunquam in terris æternis præconijs moriture.

Pellinus, & Iacobillus sub An. Do. 1470. & Laurus, & Hieronymus Prollierus in Hist. Perusina.

Bartolomeus de Oddis, Miccia nũcupatus.

SAlue Bartolomee de Oddis, Lauiani Comes, Auorum imago, posterorum exemplar; anima bellicę fortitudinis, spiritus maiestatis, indolis Heroinę dignitatis ornamentum, iterum, atq; iterum salue. Micciæ cognomen dedere tibi pręclara facinora, quẽ admodum Scipioni Africæ victæ malum Africani notam adiunxit. Illud Posteri tui tanti fecere, vt cognominis vna, & hæredes à Miccia non minus, quam de Oddis à styrpe pulcherrimum discrimen Familiæ suæ desumpserint. discimus ex hoc conseruari parta non posse, nisi Auorum hæreditas prouehatur in dies adstatum ampliorem. Hinc tu ob plura in Patriam merita, publicis legibus

fueras

fueras quasi Pater Patriæ & conditor Vrbis exemptus: libera tibi viuendi contigit optio, libertatis acerrimo propugnatori. Tu Florentinę Reipublicę summus Imperator, Mediolanēsibus carus, Nucerinis periucundus, deriuasti foras officia, quibus domesticos omnes prius adstrinxeras. Tu Bracchio de Fortebrachijs supplici precariam opem intendens, hoc vno quanti esses, testatum posteris reliquisti. Non habuit ætas tua parem, aut si potuit habere, à te demereri poterat robur inuictum, qui apicem militaris glorię occupaueras.

De eo Pellinus, Crispoltus, & alij.

Bartolus Seuerus de Alphanis I. C.

BArtolus Sentini villula natus, optimis literis Perusię imbutus, & inter Ciues adscitus Alpha-

norũ Illuſtri Familię veluti Alpha principiũ dedit. Hic magno acumine perſpicacis ingenij Ius ciuile non ſolum *Peruſiæ* profeſſus eſt, ſed in omnibus ferè Italiæ Gymnaſijs exactę doctrinę documenta reliquit. Eum aduerſus ſtudiorum labores indomitum extitiſſe ferunt, conſueuiſſe vti in pertenui menſa certis cibi, potuſq; menſuris ad tuendam valetudinem; & cum ſæpè memoria laberetur, obliuionis incõmoda aſſidua cõmentatione remouiſſe, vt ne horula quidem extra Naturæ neceſſitatem ſtudijs ſubtraheretur. Sed eãdem quoq; ſeueritatem ſupra ęquum in torquendis, necandiſq; noxijs adhibuit, cum rerũ capitalium iudicijs præeſſet; adeo vt reũ furti, nec ritè confeſſum, & inſontem pręcipiti ſententia ſupplicio affecerit. ex ea acerbitate cum inuidiam populari voce conflatã ſubijſſet, conſpectum hominũ pudore

dore vitabundus in arcanum ruris ociū euoluendis libris se abdidit; qua demū studiorum contētione perfunctus, audacterq; in publicam veluti certamen egressus, æquales suos doctrinę firmitate, & mira iudicij constantia superauit. Donatus est virtutis causa à Carolo IV. Cæsare gentilitijs Boemiæ Regum insignibus, quibus purpurei leonis forma aurato in campo cū bicipiti cauda salientis exprimitur. Perusiæ autem supremam in Gymnasio claritatē consequutus fortunas suas collocauit, duxitq; Vxorem ex Bouarina Gēte virtutum præstātia conspicuam, ex qua Franciscū filium, filiasq; plures habuit, quas discipulis suis amore filiis in matrimonio collocauit, quos pręexcellentis doctrinę reliquit hæredes. Defuit ei latinę eloquentiæ facundia, ne summæ glorię fastigium teneret, & tamen est, cur

maximè miremur, illum in perpetuo docendi munere occupatum, tot, & tanta volumina perſcribere potuiſſe, cum quadrageſimo ætatis anno fato ereptus iuſtum de inchoatis ſumma felicitate, nec dũ perfectis operibus deſiderium poſteris reliquerit. ſepultus eſt Peruſiæ in ſacra AEde Diui Frãciſci ad Arã maximam anno MCCCLVI. *S. Antonin. Archiepiſcop. Abraham Bzouius, Tarcagnota, & cæteri ſcriptores.*

Benedictus Guidalottus Epiſcopus Recineti.

INgenij dotibus inſignis ſũmos humaniorum literarum apices Benedictus tenuit, mox appulit ingenium ad Iuris prudentiã, ſuęq; ætatis in ea facultate principes facilè anteceſſit. Martinus V. Pontifex max. auguſta generoſæ mentis, quam in Benedicto ſuſpiciebat,

ma-

maturitate permotus, non modò eum quæstorē renunciauit, sed rerū maximarū procurationi pręfecit. Episcopalis ordinis dignitate honestatus, purpura ornandus, ni rapido morbo interijsset clarioris fortunæ certissimā spē morte cor rūpēte. Ciues in Patria (vbi ędes sapientię nouæ maximis redditibus locupletatas erexerat) iusta persoluunt, anno MDXXIX. tumulatusq; est in Diui Dominici Templo.

Abbas Ferdinandus Vghellus in Catalogo Episcoporū Italiæ, Ludouicus Iacobillus, & Pellinus in Annalibus eorum.

Comes Berardinus ex Fortebracchijs.

COmes Berardinus ex Carolo Bracchij filio natus, Auitę virtutis, & studij hæres extitit nō degener, corporis statura ingēs, animo ingētior, necnō militari studio

illuſtrior, planèq; regio vultu Fortebracchianæ ſtyrpis ſpecimen ad viuum referebat. A Venetis ad ſua ſtipendia traductus opinionē fauentis Senatus de tanto ſanguine conceptam non fefellit, vtpotè qui in omni obeundo munere mirificæ virtutis vim ad bellum afferret, eo quidem rerum ſucceſſu, vt Aui virtutē ſi minus ſuperaſſe, æquaſſe quidem certè cenſeretur. Quod tunc maximè perfecit, cū ad Truentum amnem equitatui præfectus regiam Ludouici XII. Francorū Regis, ac propè victricem Phalangem magno impetu irrupit, ac diſiecit, totamq; aciē euertit ita, vt Rex tormentis bellicis, totoq; cōmeatu direpto, terga vertere coactus fuerit. Et Berardinus multis confoſſus vulneribus, multoq; inimicorū ſangui ne, purpureis quaſi gemmis decoratus, ſemiuiuus à ſuis militibus in Caſtra delatus, eximio omniū

plauſu

plausu exceptus, victoriæ parens, & totius exercitus, ac libertatis seruator ab omnibus salutatus est. Nec multo post in veræ gloriæ signum nondum curatis vulneribus, cum speciosissimus aureo fręno, aureisq; bullis, ac serica sella gẽmis exornata decoratus equus Venetæ Reip. à magno Turcarũ Imperatore dono missus fuisset hunc equum Senatus Berardino Victoriæ authori, adiectis insignibus, muneribus, & omnium gratulatione largitus est; tantamq; eiusdem Senatus gratiam in dies magis adeptus est, vt in obsidione Patauij per Maximilianum Cęsarem ingentibus viribus soluta, in Aluiani, & Ioannis Pauli Balionis locum Berardinus totius Veneti exercitus Imperator fuerit renunciatus.

Berardinus, ſeu Binus Signorellus.

SI quis in paruo oculo ingentes conſpiciendarum rerum magnitudines, in paruo capite infinitas propemodum rerum maximarũ ſpecies miratur, is miretur potius in exiguo Bini Signorelli corpuſculo animum tota terra maiorem, qui noſtra memoria non ſolum hanc Vrbem, ſed totũ terrarum Orbẽ nominis ſui fama cõpleuit. Hic nondum pubes a Balthaſarre fratre, e ſinu Laurę Balionez Matris Venetias adductus, eius Reip. militaria ſtipẽdia, licet pænè pubes, magna expectationis laude promeruit, & ex his ad Gallica vocatus, non ſolum fortiſſimi militis, ſed prudẽtiſſimi Ducis partes, ea ſagacitate expleuit, qua cæterorum Procerum beneuolen-

uolentiam cum admiratione cō-iunctam, eiusq; exercitus Imperatoris amorem cōciliauit, a quo summis laudibus insignitus digniori equitum turmę, illi scilicet, cui Regis custodia cōmissa fuerat, in honoris signum præfectus est. paucis postea interiectis mensibus cum Busseti, vbi statiua equitibus suis castra collocauerat, Fabricius alter huius *Bini* frater, a Pallauicino Dynasta oppressus fuisset, eius turmarum cura sacrorũ Purpuratorum *Patrum* mandato, qui in sacro Conclaui congregati erant, commissa est. Binus autem fraternæ necis vindictam mira sagacitate non distulit, idèmq; ad eam egregij bellatoris Ducisq; famam euectus est, vt a Marchione Montisbelli Pauli IV. summi *Pontificis* sororis filio pro suo locũtenẽte, & ab Ascanio I. Corneo Iulij III. summi Pontificis similiter

sororis

ſororis filio non ſolum pro ſuo, vt aiunt, Patrino in monomachia, quam habuit cum Iannino Thadeo, ſed in eodem locūtenentis gradu, dū ille primaria Eccleſiaſtici ſtatus militaria munera obiret, magno cum honore electus fuerit.

Berardus I Corneus

BErardum primum Corneum, *Patriæ* Fabium, ac Marcellū ſuæ æternitati temporū, nominis immortalitati bellica virtus ita commendauit, vt planè appareat, Corneæ familiæ antiquorum Heroum nomina deeſſe, non facta. Funeſtiſſimo Guelphorū, ac Ghibellinorum incendio tota prorſus ardebat Italia, pręcipuè tamen mali uis Italiæ ſinum, hoc eſt Vmbriam, atq; Vmbrię cor Peruſiā populabatur; in qua violentior, quia

quia opibus, atq; authoritate superior, Guelphorum vis erat; Spoleti verò Ghibellini, & numero, & viribus potentiores habebantur. Quarè excitato semel in eadem Ciuitate tumultu, eò res adducta fuit, vt eiectis per vim Guelphis, Ghibellini supremum in Vrbe imperium occupauerint. Extorres Patria, bonisq; proscriptos omnibus Guelphos excepit Perusia, sed statim remisit victores: coacto enim repentè exercitui Berardũ Corneum præfecit, qui Patria simul, ac gentili virtute plenus erũpẽtes Spoleto Ghibellinos, ac Duce Bonamantio ferocius insultantes, iusto prælio cæcidit. victis ex desperatione creuit audacia, vt indè cresceret nomen, & fama victoris. nã Bonamantius instauratas recreatasq; copias educit, vt ipse putabat ad pugnã, sed vt euentus docuit ad stragem: Berardus enim equitatu instructus

Perusino,

Perusino, nouisq; peditum centurijs munitus, Ghibellinorũ exercitum miserabili clade funestauit, Spoletinum agrum vastitate protriuit, atq; vt tantę victorię opima spolia non deessent, ipsum Spoletinorum Ducem *Bonamantium* sua manu confecit. Spoletini, vbi cladis magnitudo cladẽ expendere permisit, nobilissimos ad *Berardum* Ciues adlegãt, qui deditione facta victorem Berardũ Imperatorem salutant. ille exulibus Guelphis *Patrię* ac dignitati restitutis, Spoletinos Perusiæ vectigales facit; indè Patriam victore cum exercitu rediens, Vrbis Veteris Pręfectura decoratus, ita in eo munere se gessit, vt non magis suorum Ciuium, quam exterorum saluti natus videretur.

Sanctus Beuineates.

ANimo te colo, nunc etiã calamo, ò Sancte Agricola Beuineates

neates. nã patere, te hoc nomine, quod Deus ipse, cuius tu pręcipuus cultor fuisti, non dedignatur, ob ligonem, quo es insignitus, appellari: quãuis non tam in agro, quã in animo colendo, sedulam operã præstiteris; imo idẽ in illius cultura, quod in huius cultu euenit. ibi nãq; aut syluestres arbores ad mitius traducuntur ingenium, præ alimento nimio luxuriantes putatione coercentur, aliæ contractiores nouis stolonum accessionibus amplificantur, parũ frugiferæ insitis in earum styrpes pręstantioribus quasi adoptiuis filijs in alienã gentem adsciscuntur. ita hic videas, arbores oẽs iniustitię effodi, voluptatũ stirpes excidi, inaniũ opinionũ stipulas aduri, affectuũ radices euelli, inseri animo plãtas fortitudinis, prudẽtiæ, omnisq; Virtutis surculos. Et verissimè dictũ, optimũ militẽ legi ex agris; nullũ enim sudorẽ respuũt manus,

quæ

quæ ad arma ab aratro transferuntur, & non ne quamlibet viã iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt; eoſdẽ in ſuarũ legionum albo inſcribit Cæleſtis ille Imperator. atq; ò te felicem Agricolam, qui nunc Cælicola ex his ad illos verè Elyſios campos es translatus; in quibus precum ſemina ad illum, qui in- [illegible] nobis ſpar- [illegible] crementum dat, pro [illegible] ge, noſq; qui in tui venerationem Templũ extruximus, ac pulcherrimæ Iani vallis altera facie præſidem conſtituimus, altera facie in hac ſingultuũ valle degẽtes intuere, ac ſarculo tuo rureſtris huius vitæ ſpinas, tribuloſq; euelle. Obijt Peruſiæ die xiiii Maij Anno 600.

De eo Ferrarius in Catalogo Sãctorum Italiæ. Habetur in Statuto Perusino, referunt Pellinus in Annalibus, & Ludouicus Iacobillus in Vitis Sãctorum Vmbriæ.

Biordus

Biordus Michelottus.

TE *Biorde* Michelotte, Patriç Patrem olim *Perusia* vocacauerat, at publicum nunc Patriæ dolorem, & vocat, & luget. Te qui *Patriam* infestam Angli habebant, optimum vindicem; Te popularium factio Principem; Te Ciuitatis consensus vniuersæ Patronum; Te Florentina Resp. Imperatorem; Te Vmbriæ, Hetruriæq; Vrbes non paucæ Dominũ veneratæ sunt. Vtinam quã apud exteros morum suauitate conciliaueras tibi beneuolentiam, eãdem à tuis vel admoto virtutum maximarum tormento extorquere potuisses. Verum hoc tuam solabitur necem, quod tres fratres consanguineos tuos nactus proditores, Ciuium omniũ animos plus quam germano amore tibi coniũctos inũenisti. Te enim extincto

A. D. 1398. nouem totos dies officinæ ſingulæ publico decreto clauſæ fuerunt, vt quando vænalis eſſe non poterat pro mercibus dolor, nec merces quidem ipſæ vænales forent.

De eo ſupracitati ſcriptores.

Boldrinus Panicalenſis.

BOldrinus in Oppido Panicalis natus non modò Peruſinos inter Ciues, verum etiam inter Heroas locum ſibi gladio fecit, virtutum claritudine, & genus ornauit, & *P*atriam; quæ Boldrini bellatoris beneficio Griphis (quod eſt proprium Peruſinę Vrbis inſigne) publicis in vexillis vtitur, & ſuæ militiæ Ducem proprium habet. Hic cum robuſtam iuuentutem ad militiam attuliſſet, ita ſe breui cōmilitonibus approbauit, vt in arduis non ſolum hunc Ducem

cem ſequi vellent, ſed vnum Ducē. quarè non multò poſt equitum ductor voluntarius pro gentis more factus, collecta mille circiter equitum manu liberam militiam exercuit, in qua Bracchiū ex Fortebracchijs, & Sfortiā Cotognolæ Tyrones habuit. indè clareſcēte in dies eius fama, Pōtificij exercitus Imperator renunciatus eſt; mox fuſo, fugatoq; Clementis Antipapæ milite, gloria apud omnes auctus, & ab Vrbano ſummo Pōtifice multis ad Thraſymenum Oppidis locupletatus eſt; Idem Mediolanenſis Archiepiſcopi partes ſuſcepit aduerſus Venetos, quos pari ſucceſſu ad Cremonæ mænia ſuperauit. Florentinorum Remp. a Ioannis Boemiæ Regis incurſionibus liberauit; rem bellicam noui generis armis inſtruxit. quid plura? hominum victor ipſis etiam illuſis fatis,

dum

dum suorum victorijs militum, ac triumphis mortuus perinde ac viuus interfuit, ac præfuit. illi si quidem Ducis sui exangui, & ex succo cadaueri, quod in feretro circumferebant, tendebant non secus ac viuo Prętorium, & eius consilijs forte quadam excerptis ad res gerendas fæliciter vtebantur. Iactent nunc imbelles mortui leonis exuuiis vel lepores insultare, cum videant egregium bellatorem etiam mortuum vitam largiri, ac bella gerere, & vel erepta anima dare animos ad triũphos.

Bracchius ex Fortebracchijs.

BRacchius Perusina nobilitate nobilior, belli fulmen, ac ingens totius Italię terror ne dicã an decus? vtrumq; verè, eã enim sępissimè percurrens terruit cladibus

dibus, illustrauit triumphis, iunior fortuna vsus minimè secunda, vulnera, vincula, ac carceris tenebras ad lucem nominis, ad victorias, ad aulas, ad sceptra pro tyrocinio habuit. Quot numerātur Italiæ Principes, ac Resp. toties repetita in Bracchio Imperatoriæ dignitatis insignia numerātur; omnibus enim vbiq; carus, qui semper vbiq; victor; Neapolitanos Reges imperio cum voluit, aut deiecit, aut suo contineri cōpulit: rursus cum voluit restituit, nec semper hostis, nec semper amicus, at semper victor, sibiq; similis. Italiæ loca vniuersa percurre, vbiq; recognosces Bracchianæ virtutis impressa vestigia; Hetruriam enim, Vmbriam, Picenū agrum, Brutios, AEmiliam, Bononiam, non hostili sanguine magis, quam gloria victoriarum impleuit, toties vicit, quoties cum hoste conflixit bellorum numerū

numero victoriarum æquauit. venisse, ac vicisse res illi propè vna fuit; celeritate itinerum victoriæ famam, victoriç magnitudine celeritatem superauit. Sępius Ladislao Rege Neapolitano debellato, Sfortia sæpè victo, Tartalia & Malatestio profligato, captis cæsisq; Ceccholino, Michelotto, & Paulo Vrsino summis Imperatoribus, plurimis in deditionem redactis Vrbibus, triumphum egit. ob expulsũ Roma Ladislaum Regem à summo Pontifice, Populoq; Romano in Capitolio Pater, & Vrbis liberator salutatus, totius propè Italiæ copiarũ Imperator, & Custos atque Restaurator conclamatus. Quam alios summo Pontifici obedientiã præstare armatus coegit; ipsi vltrò Reges spoponderunt, Regibus ipsis potestate, maiestate, honoribus, Populorum obsequijs non impar, vt ipsi nomen Regis defuisse solũ agnoscas, cætera

tera adfuisse omnia. Patriam Vrbem quia habuit infensam, licet occupauerit, superbis tamen molibus exornauit, quæ quidem admirationem habent, fidem non inuenirent, nisi extarent in omniū oculis ad hanc vsq; diem. Ducū omnium apex & terror tunc victus solùm, cum mortuus, tunc verò mortuus, cum superatis hostibus, quę maiora caperet honoris, ac virtutis incrementa non inuenit, & glorię summo in culmine, quò proueheretur altius non haberet. Interijt A.D. 1424.

Io. Antonius Campanus Episcopus Crotonen. Paulus Iouius, Nucerin. Episcopus, & Pompeus Pellinus in eius vita, Tarcagnota, Iacobilius, & cæteri scriptores.

Bracchius I Balionus.

QVamuis Bracchio *Baliono* gloria Malateſtę Patris ſplẽdorem non vulgarem attulerit, & Peruſini Populi ſtudium mirum in modũ de parentis ipſius honore ſolliciti, dignitatem *Bracchij* maxime auxerit; hæc alienę laudis argumenta *Parentis* ſcilicet, non propria iſtius dixerim: nam hic ſortitudine, & militaris artis peritia, Parente multò ſuperior, cum per id tempus maximis bellorum incendijs tota pęnè deflagraret Italia, a Nicolao ſummo Pont. huius nominis V, vt aliquandò internecino huic bello finis aliquis imponeretur, potiſſime electus fuit, qui cum Imperio toti pontificio exercitui præeſſet; & optimum ſapientiſſimi principis conſilium fuiſſe exitus cõprobauit

bauit

bauit, nam pugnacissimus Dux, dignus ex Sorore *Bracchij* ex Fortebracchiis nepos, ex fortissimis quibusq; militibus conscripto statim exercitu, eoq; protinus in aciē educto, tātā terrorē omnibus Italiæ *Principibus* iniecit, vt hi post minuta aliquot prælia, in quibus superior Bracchius semper euasit, a Pontifice tam solerti, & ab eius exercitu, qui sub tāti Ducis imperio omnibus terribilis erat, maiora mala sibi timentes, reiectis armorum consiliis, bellum detestati, in mutuam pacem dexteras coniunxerint. Dignus planè triumpho eras, & maiorum tuorum vestigiis insistens triumphasses profectò, nisi *Pax* superueniens parato triumpho te immature subtraxisset anno 1454, & nisi te dignū potius triūpho, quā triumphantem Mors immatura voluisset.

Cæſar Gherardus S. R. E. Cardinalis.

EXaggeratam ingenij fęlicitatem, planèque diuinam, vno verbo Cæſare dignam in explicãdis non ſolum in *Patrio*, ſed in Firmano Gymnaſio Iuris prudentiæ difficultatibus, prætulit Gherardus. parto ſpectata ſapientia decore, Romam virtute præſtantiũ *Patriam* iuſſu Cardinalis *Burgheſij* vocatur, ibiq; compendiariam habuit breuiſſimi temporis ſpatio ad ſacrum Purpuratorum Patrũ ordinem viam, feſtinato ac quaſi pręcipiti curſu. Fortunam enim ancillari virtuti præclaro prorſus exemplo docuit, cum biennio poſt a *Paulo* V. Pontifice max. Cardinalis factus, tantæ dignitatis

tis

tis partes, ac numeros omnes cumulatissimè expleuit, ætate, sed nequaquã immortalitate immaturus. Episcopus Camerinensis a Gregorio XV. renunciatus, eoq; vita functo, cum ad comitia, quibus Vrbanus VIII. Pont. Max. creatus est, æstiuis caloribus venisset, contracto læthali morbo obijt anno MDCXXIV. Vixisti tu quidem Gherarde, æternitati nominis satis, vtinam satis tibi vixisses & nobis; quamquam & tibi, & nobis non immaturus occubuisti; si quod de se Macedonum ille prædicabat Imperator, non annos tuæ purpuræ, verum præclarè gesta censeamus.

Cæsar Caporalis Poeta.

O Quàm salibus egẽs sum, vt sales illos tuos educã, Caporalis

verè *Poetarum* ſal tua enim carmina germanam exprimunt ſatyram, qui non iis iugulas, aut inſultas, vel apertè irrides, nec calamum tuum perpetuas maledicentiæ volutabro, ſed illo nequitię dentes ſuaui dictionis aceto defricas, barbamque vitiorũ miti volſella depilas, extimãq; ſuperficiem tantum decoloras, nec intima lædis, aut vulnera imprimis, ſed leui, elegantiq; dolabra labes expolis. & apage iſtos, qui ſatyricos rictus, feces, venena, aputulenta linguarum ſanie eructant: Cæſar noſter cum vtili dulce miſcens, ſeria iocularibus amænat, epulaſq; crebro dictorum ſale cõdit. ſic cæſim, non punctim ſuo ſtylo ferit, adeoq; non pungit, vt potius perpetuis amænitatibus argutiiſq; vngat, cum non acre, ſed lene pharmacũ, illudq; guttis auro micantibus illitum propinet, vires igitur habet Caporalis calamus

lamus sed non ideo illum virulẽtum dixeris, cum solum quicquid in satyra argutum, in epigrammate insperatum, in eius Poema defluxerit; neq; vti Canis latrat in omnes, sed summis labris dũtaxat mordet, an suauiatur? risusq; ac ioci nexibus lector irretitur. Verum supra vulgi regulam citatum ingenij illius fulmen apparet, cum ab eius ferula (ferenda tamen) Aula vapulat, ibi plusculũ mellis, ibi piperata facundia: hisce præcipuè carminibus corona dignum Cæsaris Caput est atq; inter festiuos Poetas agmen ducat noster Caporalis.

Carolus ex Fortebracchijs.

HIc est ille Carolus, qui ex generoso Bracchij, & Camerinensium Ducum sanguine genitus, immenso ardore pugnacis

ingenij vix infantiam egressus, puerilibus solutus crepũdijs, gladio prçcingi, & aurea mollioris ætatis fila ferro premens, Patris in bellando vestigia sectari non dubitauit; qui post obitũ Oddonis fratris, paterni exercitus reliquijs collectis, Patriæ & Familię dignitatem, vt maximè potuit, fouit, Florentiamq; puer contendens ad sacros Eugenij IV. Summi Pontificis deosculandos pedes benignè exceptus, Montonis Oppidi Dynasta, & magno stipendio Ecclesiæ miles creatur; cuius dominio Assisium, & Camerinum a se vi summa captum, iterũ adiũgit, & Ecclesiasticarum copiarum Præfectura in Piccinini locum ab eo prudentissimè gubernata est. Mox Philippi Mediolanensiũ Ducis honorifica stipendia promeritus anno MCDLIII. Iacobo Piccinino summo Mediolanẽsis exercitus Imperatore in Laudensi pugna

gna, quã habuit cõtra Franciſcum Sfortiam, tam fortiter, prudenterq; certauit, vt eius profligato exercitu, in turpem fugam eum compulerit. Hic cum *Præfecturæ* munere Venetæ *Reip.* inſeruiret mille peditibus, tribuſq; millibus equitum Alexandrum Sfortiã Frãciſci fratrem in Laudẽſi itẽ agro multis cladibus afflictum vexauit, alijſq; in prȩlijs tantã laudẽ promeruit, vt anno MCDLXXVI. ex eiuſdem Reip. decreto exercitus Imperator electus fuerit, qui Turcarum excurſiones Forum Iulij inuadentium mira fortitudine & celeritate repreſſit; deinde cũ eodẽ exercitu in Florentinæ Reip. auxilium a Venetu Senato tranſmiſſus, eam Remp. ab inimicorũ vexationibus liberauit, Senenſiũq;ditionẽ miro terrore depopulatus eſt, atq; dũ Cortonȩ exercitui ſuo tentoria figit, & ab amicis *Peruſinis* in ſpem erigitur *Paternæ*

recuperandę iurisdictionis, & dominij, diro morbo correptus interijt, anno MCDLXXIX.

B. Cecilia de Coppolis Ordinis S. Claræ.

VT benè Cecilia Cęlo reddidit animum, quem de Cælo acceperat; nam ex sterilis Matris Leonardę de Ramazanis vtero Diui Berardini Senensis precibus cum in hanc lucē venisset, vix pubertatē ingressa, totā se Diui Francisci Religioni addixit, Frācisco Patre eximio Iurisperito, & clarissimo viro, frustra renuente, qui nobili Iuueni eā spopōderat; illa enim non alium, quam Christum Iesum Cælestē sponsum quęrens, cum Ancilla ordinis S. Claræ noctu è paterna domo egressa, tam propero gressu Fulginiam pro-

progreſſa eſt, vt equites ad eam inſequendam a Patre immiſſi, rapido licet curſu ferrentur, vix tamen eam ad Monaſterij Diuę Lucię fores eo tempore, quo a Monialibus excipiebatur, conſequuti fuerint, quæ tamen ab eis indè extrahi, vt ad Patrem reduceretur, nullo modo potuit. & Monialis iam facta cum dura parciſſimæ menſæ diſciplina, ſeuerisq; flagellis tenerum corpus atrociter affligeret, ſępiſſimè Angelicis colloquijs, dum oraret, honorata eſt, ad eamq; ſanctimoniæ famã euecta, vt Monaſterij ſui Abbatiſſa electa, ad rigidam Diuæ Claræ vitæ auſteritatem Monaſterium illud reduxerit, magna nonnullarum Monialium & Superiorum indignatione, ob bonorum omnium abdicationem, ita vt è Monaſterio eam expulerint; quæ Romam progreſſa, in Monaſterio Tranſtyberino ſui Ordinis excepta

eſt,

est, cuius ob vitæ sanctimoniam Abbatissa electa, eandem Diuæ Claræ regulã eadẽ controuersia in hoc Monasteriũ introduxit. Quare Sixtus IV. eius vitæ sanctitate commotus, ad illud Monasterium visitandũ accessit, Cecilięq; colloquijs eiusq; vitę norma perspectis, regulã confirmauit, Ceciliæq; facultatẽ dedit ad suum Fulginatem Monasteriũ redeundi; in quo summo plausu excepta, reliquum vitæ tempus pari sanctimoniæ laude transegit: eiusq; beatũ corpus triumphali quasi fastu delatũ, ac cultum fuit, magisq; in dies colitur, & miraculorũ splendore illustratur obijt die 2. Ianuarij. MD.

De ea habetur in Cronicis Ordinis Minorũ part. 3. lib. 7. part. 4. lib. 6 8. in Hist. Ord. Gõzagæ Tussignani & Mariani & fuse Ludouicus Iacobillus in vitis Sanctorum Fulginiæ, & illorum, quorũ corpora in Diœcesi Fulginate requiescunt.

Ceccholinus Michelottus.

DVm Ceccholinũ inuictiſſimi Ducis cognomen meritum mente recolimus, colimus Peruſinæ libertatis propugnatorem, ac vindicem. nam pro Ciuium libertate tanta animi conſtantia aduerſus inuictum Bracchij de Fortebrachiis exercitum pugnauit, vt voluerit incomparabili inſolentis virtutis documento pro Patria, & in Patria mori inclitis, Peruſinorum mentibus eſſe glorioſum. vnam fortunæ vim labefactare, ac frangere non potuit, vt reliquis bellatoris dotibus par, ita ſola ſorte Bracchio impar a Guidalottis Biordi fratris interfectoribus pænas repetiit, ac militari dignitate clarus, omnium ſæculorum memoria digniſſimus interiit anno MCDXXII.

S. Conſtátius Bárzius Epiſcopus Peruſinus.

IPſomet Chriſtianæ Religionis exortu, eiuſdem propugnator acerrimus, & propagator conſtãtiſſimus Conſtantius ortũ duxit, Parentibus nobilitate pariter, & pietate præſtantibus, a quibus optimæ indolis, magnęq; ſpei puer virtutum omnium, literarũq; ſtudio excultus, breui apud omnes adeo perſpicuus euaſit, vt adulta iam cum ętate virtute, ſacrorum Pater a Peruſino Chriſtianorum cætu fuerit renunciatus. quod munus propter alienæ ſalutis ſtudiũ vt non ſubiuit inuitus, ſic libens obiuit, proprioq; ære in pauperes erogato, gregem ſibi cõmiſſum & voce, & integerrimæ vitæ exemplo ad Chriſti ſigna traducendum curauit, breui quam alijs

indi-

indicabat, & aperiebat voce, suo sanguine strauit ad Cælum viam, & proprij effusione cruoris, angustam, & vix notam mortalibus veræ fortitudinis semitam colorauit. nam Christi sectator Aurelio Cęsare insectante, a Pręfecto Perusiæ in vincula coniectus, hoc est in veram traductus libertatē; nullus enim magis est liber, quam qui pro Christo arctius constringitur. dum igitur virgis, ferro, flagrisq; cædi iussus est, veræ nobilitatis notas, & ornamenta suscepit. Sed præsenti vnius e Cæli Ciuibus ope noctu restitutus, dū ipse vinculis alligabatur in corpore, Idolorum seruituti obnoxios animos in libertatem vindicabat Filiorum Dei; & igniti eloquij gladio, scelerum vincula, qu bus satellites, ipsiq; Carceris Custodes stringebantur, disrumpebat, qui vicissim beneficij memores, iniquum rati, suæ libertatis Vin

dicem

dicem carcere claudi, Constantium catenis expediuerunt. Paulò post rursus detrusus in carcerem, Spoletum vbi tunc temporis Cæsar morabatur, missus est. sed vix Assisium delatus, dum Custodes suos traducit ad Christum, eisq; Cælum aperit, aperiri sibi carcerem, tutumq; se dimitti ab ijsdem meruit. Verùm debebatur iam Cælo Constantius, vt quò quam plurimos exemplo, & doctrina sua pręmiserat, ipse subsequeretur. A militib. igitur denuò comprehensus, dum extra portam Fulginei securi percutitur, fulgentis Orbis portam victor ingreditur, & in loco, quem Triuiũ nuncupant, iniquè cæsus certissimam salutis viam intrauit. at non par erat, inhumatum eum delitescere, & supremo funeris honore illius corpus carere in terris, cuius spiritus inter beatas mentes receptus triumphum agebat in Cęlo.

Diuino

Diuino igitur monitu B. Leuianus Fulginas, & quatuor exoculati, visuq; carentes homines, sacrum corpus cognouere, & dum Cæcis lucem è Cælo impetrat Constantius, corpori suo funeris lucem, & exequiarum splendorem apud homines obtinet. feretro sancta martyris ossa Perusiam delata, in eo condita sunt loco vbi Alexius Presbyter anno MCCV. templum excitauit in illius honorem, & sociorum, hoc est quatuor illuminatorum & Beati Leuiani, qui lustrali eos vnda asperserat, & Cæli lumen illorum animis aperuerat, quorum oculis terræ lumen Constantius restituerat.

De hoc fusè Ludouicus Iacobillus in Vitis Sanctorum Vmbriæ, F. Laurentius Surius, F. Seraphinus Razzius, Fiāma Ferrarius, & alij.

Ceccholus de Ramazanis.

CEccholus Sinibaldi de Ramazanis, cum anno MCCCX. totius esset Perusini Senatus, Populiq; caput, audiuit Ducem Spoleti Tudertino in agro, Marchiæ, Vmbriæq; Ghibellinos penè omnes congregasse, vt agrum Perusinum depopularetur; nam Perusini Guelphæ factionis potiores erant. Cum autem Vrsinus, qui tunc temporis Perusinorum arma gubernabat, varijs implicitus negocijs Romę moraretur, Ceccholus cum aliquibus ex Decemuiris consilio Comitis Philippi de Bigazzinis, qui tunc summus Perusię Signifer erat, milites, equitesq; omnesq; amicos Guelphos magna celeritate collegit; quibus Ghibellinos in Tudertino agro inuadendos existimans, illuc cũ exercitu aduolat, Oppidoq; Fractæ vi magna capto, validoq; pręsidio

munito

munito, propè Tyberis ripã progrediens, ad Montismolini pontẽ peruenit, ibiq; castra posuit, valloq; muniuit magna Aduersariorũ admiratione, qui ingenti suorũ militum numero cõfidentes (erãt enim Ghibellini propè innumeri, ex Spoletinis scilicet, ex Pisanis, ex Tudertinis sed plurimi ex *Picenis*) *Perusinos* Guelphos pauciores contemnebant. ideo palãtes absq; ordine veluti ad prędã venientes, a Perusinis firmis ordinibus incredibili virtute & fortitudine excipiũtur; acriter pugnatum fuit, sed multi ex Ghibellinis necati, inter quos Spoletinorum Dux, multi capti, ex quibus sexcẽti potiores *Perusiã* missi; cæteri in turpẽ fugã propulsati sunt, tãta Ceccholini gloria, vt post vigintiduos dies in Patriã cũ vexillis Aduersariorũ rediens, veluti triũphãs ab vniuerso Populo exceptus sit, Patrięq; Parens fuerit salutatus.

B. CO-

B. Columba Ordinis S. Dominici.

EX agro Rheatino anno MCDLXXXVIII candida hæc Cæli Columba ad Augustum hunc collem peruenit, vt sacrũ in eo cõderet Monialium nidum, & Cænobium Diuæ Catherinę Senensi dicandum, cuius habitum ipsa susceperat. Hęc ob egregiam animi, corporisq; formã a suę pudicitiæ insidiatoribus vehementer vexata, a suo sponso Christo, cui virginitatem vouerat, diuinitus erepta est. Nam parcissimę licet mensę disciplina, cilicia, vigilesq; orationũ defatigationes tenerũ eius corpus affligerent, eius tamẽ elegantissimã formã non lęserunt. frequentibus enim ad Cęlũ raptibus absorpta diuino Cęli nectare pascebatur, vt alio nutriri cibo

bo non indigeret. vaticinãdi munus cælitus collatum fructuosè in alios adhibuit, & indè pluriũ animarum salutẽ retulit. in eius autem vnguentorũ odorẽ, virtutũq; fragrantiã tã ingens Perusinarum Virginum cætus cucurrit, & tota Ciuitas eius sanctitate cõmota est, vt Cænobiũ ad eius & discipularũ cõmoditatẽ publico ęre erigendũ curauerit. intra quod cũ se vna cũ ijs clausisset, ad perfectã vitæ integritatẽ peruenit, pluribusq; miraculis clara, integro septennio sacro tantum Christi Domini corpore enutrita, ad Cælum, vndè venerat, euolauit die xx. Maii *MDI* ab Vrbano sommo *Pont.* VIII. inter Beatas relata est; eius sacrum corpus in Ecclesia *Diui Dominici* magna omnium veneratione & frequentia sepultum.

De ea Razzius, & F. Leander in vitis Sãctorũ Ord. S. Dominici Maturantius, & Iacobillus.

diamantes

Diamantes AEgidius.

DIamantes AEgidius in breui, sed valido corpore giganteum propè animum, nec a nomine degenerem ferro igniq; indomitum gessit: Patriæ martiali innutritus, Philosophicis primū & Mathematicis firmatus disciplinis, molles plumas, vrbanasq; pertæsus illecebras, quod puer per ludum in vmbra didicerat, seriò pubescens in sole professus, nulli eorum, quæ intonuere per Orbem, bello, vel miles manu, vel Dux imperio, vel Pręfectus exemplo, consilioq; clarus non interfuit, aut præfuit. militaris gloriæ in primis auidus, cum vicina silerent arma, lectam Perusinæ pubis turmam in Flandriam, celeberrimam Martis palęstram, suo ipse ęre duxit, benignèq; exceptus, Patria, indole, virtute

exploratis

exploratis magnæ equitum Alæ cornicularius signifer datus tenellum adhuc, sed sitiens honoris pectusculum tam impauidè agminibus obiectabat, vt gorgonea præmunitū ęgide AEgidium prędicarent. Ibi pulcrum ætatis florem bellico sudore perfundens, iuuentæ robur per omnia militaria decora, palmasq; traduxit. In Italiam reuersus cupidè à Venetis, bellicę Mæcenatibus, honestissimo stipendio inuitatus, Tribunus primò militum, mox generalis copiarum Ductor, armorumq; Archimagister, quem maiorem vulgò Seligentem vocant, renunciatur, vndè in Ferrariensi tumultu, seu repentino armorum apparatu, AEgidius à Duce Ieminiato Vrsino sui dechiliarcatus Cāpi ductor generalis accitus, mox ab Ascanio Corneo vniuersis fistulatorum turmis Præfecto legatus generalis declaratus, certis

etiam peditum centurijs honorificè præpositus, strenui militis, peritisq; Ducis munia impigrè obibat. Cum deindè rebus incruento fędere compositis, Petro Cardinali Aldobrandino Ecclesiastici exercitus Imperatori visũ fuisset, vniuersas Pontificias copias non antea dimittere, quam suis quasq; sub signis armatas instructasq; in conspectum daret, datur è tãta veteranorum, & militum, & Ducũ copia vni AEgidio tantæ molis negocium per subiectos Vrbi cãpos explicandę. Quid? non tam Herclè nauiter Orpheus alijs, aut Amphion discordẽ dissonamq; lyram intentis ab imo ad summũ neruis temperet, ac moderetur, quam hic innumeros lingua, legibus moribus discordes populos, rudes instruere, permixtos, conglobatosq; digerere, confusos ordinare, lentos toruitate vrgere, minis impellere, adhortatione

citare

citare, citatos, ac temere incōsulteq; ruētes hastili transuersim præproperantium pectoribus opposito, discriminatisq; ordinibus, vt paribus interstitijs diuisi incederent, inhibere, vnum deniq; volubile, ac versatile corpus efficere, & nunc cunei, nunc rotę, aut globi, nūc turris, nūc anguis formā laxatis repente restrictisq; ordinibus repræsentare, itaq; digito, nutuq; moliri, vt ordo insertus ordini, agmen agmini cohęrēs, pedes ad aciē, aures ad imperia, oculos ad signa, manus ad opera celerrimè accomodaret, enim vero gaudere mirari, & tātam bellicæ facultatis peritiam celeritatemq; lætis plausibus, ita publicè milites, *Duces*, *Imperator* gratulari, vt vnus in Ferrariensi expeditione vicisse Ægidius, vnus, triumphasse videretur. Hic accensa iterum Venetis cupido extraordinariæ virtutis Virū extraordinariis

præmijs honoribusq; cohonestandi, & Cretam, & vniuersum eius Insulæ equitatũ Diamantis fidei, virtutiq; committunt, rebus illic per septennium prudenter, ac feliciter administratis Venetias properis Senatus literis accitur, vt peditatus, equitatusq; præsidia, arces, propugnacula præsens adeat, fossis, muris, armisq; vallet, firmet, muniat, iunctisq; Procerũ consilijs videat, nequid Resp. detrimenti capiat. sed quid tibi Cælestis aura imperuium? tuo scilicet afflata compulsu peruicacia corda resipiscunt, fugatisq; suspicionum nubeculis, & belli seminibus maturè oppressis, redit pristinum parendi studium, & conualescit a febri leo, ac toto christiano Cælo pacis, fidei, Religionis serenitas elucescit. AEgidius dũ Perusini militis officio strenuè, pièq; fungitur, vita defungitur, ætatis anno quinquagesimo sexto,

salutis

salutis MDCVII. cinericio Capuccinorum sacco, frequenti equitũ Ducumq; funere elatus, Venetijs magno christianorum Principum desiderio tumulatur.

Diomedes Corneus Marchio.

HAbes in vno Diomede Perusia geminum ciuilis, & militaris virtutis exemplar, vt enim insitos alieno stipiti surculos duplicis quasi generis poma ferre videmus, sic par erat, Diomedem, quo veluti gemma delibrata è nobilitate familiæ de Pinna, inoculatum fuit Corneæ gentis germen amplissimum, geminati splendoris fructus exhibere: & exhibuit profectò Diomedes, quem ad bellici pulueris decus anhelantem, si contempleris Auenionensiũ co-

piarum Imperatorem a Clemente VIII. renunciatum, suisq; opibus in Othomannos acerrimè ruentem, aspicies, vt gentilis Corneus, non tam natiuo rubore, quam perduellium sanguine purpurescat. Si pacis studijs addictum intuearis, generis nobilitate, animi magnitudine, morum comitate, singulari apud Principes Viros gratia triumphantem deprehendes.

B. Dominicus Tilis de Alexijs.

IMmortale Familiç tuæ donum ex tuis laudibus tibi quæsitũ sit, fama meritorum tuorũ Dominice Alexi olim integerrime, nunc beatissime, beneficentissimeq; pietate tuorum, & Populorum studijs admiran-

mirantium virtutes tuas, quam ad viuum expresseris verum, germanũq; sanctitatis exemplar, non dicam; hoc enim nobis tacentibus ipsa virtus proclamabit: nã Vxore relicta, mentẽ purissimo lacte religiosę perfectionis imbuere, animum (dato nomine in Franciscanã tertij Ordinis familiam) probitatis eximiæ documentis excolere, carnem diu, noctuq; vexare, cilicijs coercere, efferatos animi spiritus, corporisq; rebellantis ferociam inedia, flagellisq; cõprimere, ecquid aliud fuit, nisi architectantiũ aggere virtutũ, rerum opifici non manu factũ in anima domicilium excitare? nimirum sedes Deo in hominum cordibus extrui nulla potest, nisi seueritatis manu: mirentur alij ad Dominici imperium claudum ambulasse, dum erogantur in pauperes aucta obsonia mirentur vaticinia, redditã loquendi facultatẽ,

Dissentericos solo Crucis signo incolumitati restitutos, mirentur eiusdem extincti cadauer integrũ adhuc permãsisse centum & viginti ab hinc annis, quia destrui nõ potest Tabernaculum Sanctitatis. vnum illud demiramur, virentem adhuc Dominicum a sensibus ab alienatum, tutelaris Angeli ductu sępius spectatorem fuisse Diuinitatis. Adsis e Cælo bonus, & felix, sic indoles tuæ mentis accepta templis vigeat semper in animis hominum, in memoria temporũ, in sanctorum fastis, in moribus Populorum.

De eo habetur in Cronicis Diui Francisci in parte 3. lib. 8. cap. 44. in Ludouico Iacobillo in Vitis Sanctorum, & Beatorum Vmbriæ; & in eius Tractatu de Tertio Ord S. Francisci; nec nõ in Annalibus Minorũ & in veteribus manu scriptis.

Euan-

Euangelista Tostius.

EVangelistæ Tostio, cuius excelsus animus naturæ vitio demissum corpus sortitus est, solertia atq; ingenij perspicacitas, Vecchini cognomen indidit; non illũ infimæ sortis conditio a summis arcuit, aut deterruit; non Paterni generis tenebrę ad nominis claritatem obstiterunt; facem ille prętulit Perusinę iuuentuti, exemploq; impulit suo ad bellicam laudem consectandam, non in Italia modo, atq; Sabaudia, sed etiam in Gallia, Belgio, Germania, Pannonia; quibus in Regionibus ęterna gloria vestigia impressa reliquit. Quoties Caroli Sabaudiæ Ducis nuper vita functi, vt de alijs sileatur, non ditiones modo, sed vitam ipsam, ac dignitatem tutatus est; hoc ille non semel professus est, in primis

autem, cum infen um Galliæ Regẽ Herricum IV. expertus eſt; inuaſerant Galli Sabaudiā Duce Diguerio, cum Carolus obuiam eis factus vallis cuiuſdam anguſtijs ita deprehenſus, atq; inter ceptus eſt, vt de ſua, ſuorumq; ſalute pæne deſperaret. hoc Toſtius cum animaduertiſſet, equitum alam, cui præerat in hoſtes obiectauit primò, tum illis aut fuga dilapſis, aut occiſione deletis, ipſe equo ſuffoſſo ſolus conſtitit anguſto in tramite, vniq; ex hoſtibus extorta per vim haſta, Romano ſimillimus Cocliti, hoſtiles copias tandiu ſuſtinuit, donec Carolus ipſe, maximaq; exercitus pars ex illis ſeſe anguſtijs expediret, inq; proximum Collẽ reciperet. Tunc Carolus Dux ſuum ipſe equum Toſtio ſubmiſit, quo conſcenſo ſudore ſimul, ac cruore diffluens, & decoro puluere ſordidus euaſit incolumis, ac veluti nota dignus

trium-

triumphali exceptus eſt. At verò non Carolus modò Dux ſtipẽdijs, atq; honoribus auctum voluit, ſed illius etiam Vxor Margarita Auſtriaca veluti ciuicam coronam promeritum, Toſtium magni ponderis aureo donauit, torque ſeruati Coniugis monumentũ. Magna erat Euangeliſta apud Sabaudum exiſtimatione, cum Vrbanũ VIII. ſummum Pontificem cupido inceſſit ad ſua illum ſtipendia reuocandi. Ergo Præfecturam armorum illi apud Vmbros contulit, tũ cõſcripto exercitu, vt Vallis Tellinę propugnacula a Gallis reciperet, ſeu extorqueret, equeſtrib. illũ copijs prę fecit. Quo in munere Petrũ Iacobũ Alexiũ fratrẽ noſtrũ legatũ habuit, atq; adiutorẽ eo bello feliciter atq; incruẽtè, Deo moderãte, cõfecto, Toſtius in Patriã ſe ſe eodem Vmbrię Præfecti reſumpto munere, mox Caroli Barberini sũmi Pontificis Fratris Eccleſiaſtici

ſtatus armorum Imperatoris accitu Romam profectus, ibidem dira correptus febri ſeptuagenarius interiit anno MDCXXVIII.

Fabritius I Signorellus ab Hirundinibus.

NEc defuere nobis noſtri Fabricij, quid enim dices admiratrix Vetuſtas illuſtris temporum tuorum decantatrix, ſi hũc verè illuſtrem Virum ſpectes, qui cum in ea tẽpora incidiſſet, quibus Peruſiæ reciproco fluxu Nobilitas, & Plebs in ſe inuicem irruebant, & modo illam ſuis actibus creſcentem, ac deſultantem, modò hanc intumeſcentem, ac felicem curſum decurrentem ſpectaſſes, omni exquiſito conatu aduerſus inteſtinas diſcordias laborans, vt Patria tranquillitati red-

redderetur, Inter Ciues suos mirificè emicuit, & nunquam quod securę tranquillitatis interterat, non molitus est Vir probus, & si non emolitus. Dissidia enim gliscebant semper, nouisq; commētis, atq; illustriore desultatione Ciuitatem complebant, a qua deniq; Nobilitatē Populi furor expulit. Verum eodem tempore (ò præclarum prouocatę beneuolētiæ argumentum) nobilem Iuuenem Fabritium concordi omnium voce, ac voto sibi Principem adsciscit, qui Vulgi verba vulgaria existimans, a Patria abesse, ac sui similibus Patricijs adesse, quam Plebi præesse maluit, firmo corroboratoque pectore cunctos illos acclamantium sonos non tā fortiter excipiens, quam feliciter declinans auertit illicò, & fauorē temporario suo ingenio Populus, quo iudice quicquid modestum ignauiæ, quod prouidum segnitiæ

speciem

ſpeciem habet, affectumq; in Fabricium mutans, inſulſis, inconditiſq; vocibus eum proſequitur, ſic eas, vt in reditu Hirundinum viam in eas: manſerunt in imo illius pectore hęc dicteria, & memor quod ſuum vernum tempus Hirũdinibus quoq; arrideat, & quod ex cicures non ſint, interim ſuis in inſignibus Hirundines poſuit, quæ in Diui Franciſci æde poſt Fabricij obitum poſita deinde videbantur mox verò ad patrios lares per Vrbis mænia reuertenti, ac per viam remeanti, Hem viam Hirundinum ſæpius dictitanti, Fabricio ab Hirundinibus vna omnium vox ei cognomentum indidit: quarum auium cantum non aliter, quam ſuauem illum Philomelæ exteri, ac præcipuè Florentini ſuſpenſa aure bibentes, ab huiuſmodi aliis alis tegi, ac Ducem ſibi Signorellum voluerunt, qui etiam a Ioanne XXII. ſummo Pontifice hone-

honestissimis condicionibus vocatus egregiam ei operam militarē præstitit, adeoq; virtute inclaruit, vt plura sibi oppida, atq; inter ea (quemadmodum fida extant monumenta) Roccamcontractā adeptus sit, vbi in Tribunali inuidendum illud elogium legebatur, *Rectores æqua lance Iustitiam administrate, quemadmodum bonus ille Fabricius administrauit*. Hæc enim Hirundo non solum nidum sibi armis adstruebat, sed etiam murum cōtra iniustitiam componens, tantam ad gloriam domū ædificauit, vt verè dixeris, Fabricium fabrum fuisse fortunæ suæ.

De eo Pellinus, Crispoltus, Laurus, & Iacobillus.

B. Fran-

B. Francisca de Comitulis.

IN Comitum Collismedij Procerum suorum delicijs etiam in ipso iuuentutis vestibulo requiē aduenire non potuit Francisca, quia sponsalia cum Christo cōtraxerat, & humana omnia animo exuerat, vt Cælestibus afflueret voluptatibus, vtq; parentum suorum Nuptiarum desideria protraheret, eximios sexennales capitis dolores a suo Cælesti sponso impetrauit, a quibus cum Assisium ad Diuam Claram salutandam peruenisset, illicò liberatur, cūq; in eius claustris firmo animi proposito licet reluctantibus Parentibus remansisset, ieiunijs, cilicijs, & seuera vitę disciplina, eam ibi sanctimoniam consequuta est, vt in Diuinarum rerum contemplatione Diuini Sponsi colloquio sæ-

pius fuerit cohoneſtata, multiſq; gratiarum muneribus decorata, Cæloq; maturior quã annis in *Diuinitatis* ſinu occubuerit. A. *D*. 1260.

De ea habetur in Cronicis part. 4. lib. 3. cap. 9. Tuſsignan. lib. 1. F. Lucas Vuaddingus, Iacobillus, Poſſeuinus &c.

Franciſcus Armellinus de Manſuetis S. R. E. Cardinalis.

RVbrum Armellinum, non Naturæ portentum, ſed oſtentum Virtutis vides quicumq; purpuratum Franciſcum ſuſpicis, quẽ Apoſtolicę Camerę Clerici munere non ſine eximia cõmendatione perfunctum, Leo X. *P*ontifex Maximus dignus profectò tantorum promeritorum & admirator, & re

& remunerator in Cardinalium retulit album, non impari sanè eximiæ cuiusq; virtutis, si Armellinum demas, decore exornatum. omnia veri Principis munia obijt, eoq; processit, vt dum Piceni legatus, Vmbriæ, Perusiæq; collegatus Populos legibus premeret, exprimeret moribus perfectum moderatoris exẽplum, Camerarius secunda fama renunciaretur semper non commendationem modò, sed admirationem promeruit, Cum Vrbe rerum domina concidit fato functus quando Romanum Imperium baccantibus Barbaris terribili motu quateretur, sic ad maximum Vaticani Principatus fastigium contendentem in Vrbis infortunio fortuna fefellit, luctuosius certè Romanum excidium, quod extremum Armellino diem properauit anno MDXXVII. mense Septembris.

De

De eo Ciacconus, Panuinius, Vghellius, & alij.

Franciſcus Cantutius Epiſcopus Laureti.

TAM docto, ſuauiq; cantu cecinit Cantutius ex primario Iuris Ciuilis ſuggeſtu in hac auguſta ſcientiarum omnium Academia, vt ad implendum Oradini eximij Iurisconſulti locum in Romana Auditorum Aula; a Gregorio XIII. ſummo Pontifice vltro fuerit accitus; quo in munere conceptæ de ſe expectationi cum non ſolum reſpondiſſet, ſed doctiſſimarum Deciſionum palam editarum teſtimonio

teſtimonio eam longè ſuperaſſet, tanti Viri dignus ſucceſſor habitus eſt, cũq; vitę ſanctimoniam legum peritiæ coniunxiſſet, a Sixto V. Pont. Max. primus ſacræ Lauretanæ Ciuitatis Epiſcopus (poſtquam tredicim annis eximiæ Romanæ Aulæ plauſu Auditoris munus feliciter obiuerat) electus eſt; vt autem magna Picentum lætitia Laureti exceptus eſt, ita ad illius Prouinciæ diſcordias lõgo tempore multorum ſanguine enutritas ſummi Pontificis mandato componendas, & ad Eccleſiam ſuam ſumptuoſius extruendam ſe totum tradidit. Verum aſſiduis laboribus febrim tam diram concepit, vt ante anni Epiſcopatus complementum in almæ Virginis Dei Matris conſpectu piam animam expirauerit, certãq; Cardinalitij Galeri adipiſcẽdi ſpem fefellerit: iactatum vulgo eſt, quemadmodum olim primi

mi fermè Ciuitatũ Antiſtites inter Sanctos recenſentur, ita Lauretanã Vrbem, in qua Dei Domus colitur, haud ſecus ſuum primum Epiſcopum Sanctum fuiſſe nactam, Deo noſtris hiſce etiam cum ſęculis, benignè agente.

De eo Abbas D. Ferdinandus Vghelius in Catalogo Epiſcoporum Italiæ, & Iacobillus in Annalibus Vmbriæ.

Franciſcus de Vbaldis Rotæ Rom. Auditor.

FRanciſco de Vbaldis idem ſapientię ac iuuentutis initium fuit: primis annis humanioribus literis, ac liberalibus diſciplinis non illiberaliter eruditus, mox non tam luſtrata, quam illuſtrata Philoſophia & Iure, ſui Iuris eſſe cuiuslibet adeptionem facultatis diſertè

disertè satis, luculenterq; demonstrauit; ideo Cardinali a Rubore imprimis carus, in cuius Aula sub Robore syluestri arbore, hoc est in effœto Curię solo, & inter syluestrium infelici feracitate aulicarum spinarum luxuriem prædulces sapientiæ fructus produxit; quapropter in Patrio Doctorum Atheneo principem locum obtinuit, vt adolescentium animos legibus informaret, qua in re fortunatus ac celebris vir apud sapientes fuit; non enim tantummodo summi Pontificis Clementis VIII. pronepos, & Pauli V. Sororis Filius in huius se se disciplinam tradiderunt, sed quot quot ea ætate nobiles disciplinarum cupidi floruerunt supra XXX. purpuratos Patres inter Auditores suos numerabat, ita vt quot ab eo ornatis disciplinis iuuenes, tot pænè viderentur reddi-

ti Curiæ præsules, & S. R. E. Car dinales, innumerabilia prætererea sapientiæ decora apud Messanenses, & Auinionenses obtinuit, apud quos Iuris Ciuilis pri marius Interpres euicit, *Peru*sinum esse non minus Domi, quàm foris de literaria Rep. benè mereri. Auinione Romam accitus per *Paulum* V. sacræ Rotæ renunciatur Auditor, eaq; in Vrbe, in quà nihil certius incertis euentibus, fortunam sapientibus non obluctari, sed parere docuit. *D*ifficillimas controuersias miro ingenij acumine, eximio latinæ linguæ candore, æqua Iudicij lance semper diremit, cuius sententias immortalitatis memoria, & cedro dignas ad omnem hominum memoriam imprimi iussit Vrbanus VIII. a quo dum Francisco pur pura adornatur, decoloratur ini micæ mortis pallore, videlicet etiam

etiam moriens anno MDCXXVI esse maluit quam videri Eminentissimus.

Franciscus Piccininus.

FRanciscus Nicolai *Piccinini* filius, paternæ gloriæ hęręs, Senarum Reip. cum quadringentis equitibus contra Florentinos, Alphonsi Regis in Regno Neapolitano cum quingentis prima stipendia męruit. Hinc Camerini *Ducis* copijs pręfectus, *Picenum* peruagatus, eius *Prouinciæ* Oppida ab inimicorum pariter, & seditiosorum Ciuium vexationibus liberauit. Aquilę Samnitum Vrbis agrum depopulatus est, & Franciscum Sfortiam aliquando vicit, fugauit, & commeatu spoliauit, in Vmbriam dum reuertitur, ex itinere Serauallium recuperat, Spoletum aggreditur, & expugnat

expugnat, eoq; vicinas Vrbes terrore implet, vt pleraeq; earum ſpontaneam deditionem ei obtulerint; eadēq; felicitate Biturgiā Vrbem depopulatus eſt, tum ad Philippi Vicecomitis Mediolanēſium Ducis iuſſum in Piceno cum eodem Franciſco Sfortia nō ęquè feliciter conflixit, a quo victus, & vinctus in carcerem detruditur, ſed mox a Philippo liberatur, & cum eodem Frāciſco Sfortia exercitum Venetum profligauit, Placentiam Vrbem cæpit. Duodum Venetæ Reip. Procuratorem, Carolumq; Fortebracchiū Fratrem cum ingenti equitum peditumq; numero captiuos fecit, Duodum Prucuratoria indutum toga, & Carolum Fratrem honorificè exceptos Venetias remiſit; cuius beneficij Reſp. memor Piccininum ad ſua ſtipendia, demortuo Philippo, vocauit: ſed is nimirum voluens animo veteres

inimicitias cum Francisco Sfortia, qui a Venetis stabat, harum vlciscendarum occasionem commodam se nactum ratus, Mediolanensium, qui ex Philippi morte se in libertatem vindicauerant, conditiones potiores habuit. Ab his igitur facilè exoratus, Cremonã ab obsidione liberat, Carauaggium, Moeciam vulgò Montiam, Casalem maiorem vt vocant, ac Laudũ Pompæam recuperat. Demum morbo correptus & Mediolanum delatus, ibidem moritur anno *MCDL.* spei viuens, plures victorias habuisse, quam ętatis annos, dicendus est.

De eo Bzouius, S. Antonin. in Cron. Guicciardinus, Tarcagnota, Iouius, Sansouinus, & cæteri scriptores.

Franciscus

Franciſcus Coppetta de Beccutis.

EN tibi Franciſce Coppetta, qui poematum tuorum manubijs poeticum ęrarium nobilitaſti, manum meã; nam iam olim animum habes amantem, admirantẽq; ingenium vegetum, iudicium acre dictionem candidam, atq; numeroſam tuam. Nihil in eo humile inuenies, nihil ſupinum, ſed omnia celſa ſublimia, purpura induta, colore ſplendentia, perpetuoq; thimo odorata, & ſeu calamum amatorijs, ſeu grauioribus acuat, an non ſapida elegantia, ingentiq; ſpiritu erecta verba reperies? in illis nãq; cultam, mollem, affectuum plenam, atq; ad amantium ſapientiam (dementiã ſcilicet) exprimendã feſtiuitatẽ habebis. In his grauitatẽ, ſerietatẽ, maieſtatẽ, à benigna

oris illius vena pendentiũ videbis. Teſtes ſint præcipua, quę edidit Hexęmeron carmina, in quibus breui facundia grandem Orbis gemmam, cuncta creata paruo verborum auro ſtringit, & complectitur; & dum poeſim Cæleſtium numeris adſtringit, digitoſq; admouet ad præclara diuinæ voluntatis digito opera ſex dierum ſpatio patrata, non Heliconides, aut Pierides ijs ludentes ſentires, ſed ad ſuperna illa mirè extolli, ita vt non ſolum in Academijs, ſed etiam in Concionibus cõmendatione dignus hoc nomine habitus ſit Coppetta. Quem ò vos poeſeos amantes ſerio amate, eiuſq; felicem manum ſæpius præ manibus habeatis, in quo dictionem neruo, numero, cãdore, venuſtate contractam nõ deſiderabitis, quam digniſſimè profecto poſteritas ſigillatim vniuersè plauſibus proſequatur.

FVL-

Fuluius Corneus S. R. E. Cardinalis.

HIerosolymitanæ Crucis candorem suæ habuit Auroră felicitatis Fuluius, meridianam verò lucē Romanæ purpuræ splēdor attulit, ab auunculo Iulio III. Perusinæ primum Ecclesiæ Antistes dictus in sacrum deinde Patrum Collegiū cooptatur. mētis prudentia, animi vigilantia, morum suauitate, sapientiæ studio, ardore pietatis, regij pęnè cultus ornatu confestim Fuluius ostendit, a prudentissimo Pontifice non cognationem, sed virtutem purpura fuisse donatam. Publica opera, quæ Antistitis commodum, decusq; respicerent magnanimè incepta, felicissimè absoluit; nec aliunde commendationem quęsiuit, nisi ab ijs, in quibus Religionis, ac beneficentiæ

ſplendor emineret. Perãpla extãt pietatis, ac munificentiæ monumenta, ad antiquorum moles inuidioſa. Inſtar omnium ſit erectũ Iuuentuti Seminariũ, Eccleſiaſticę Reip. Colonia, integritatis Aſylũ, emporiũ probitatis. Patres præſertim Societatis Ieſu plurimum tanti Principis liberalitati debent, quibus accitis, & redditibus auctis Templum, & Collegium opportuno in loco magnifice condidit, vt Peruſiæ Romam æmulanti ſuum non deeſſet Capitolium, ſed Religionis ſapientiæ. Portuenſis Epiſcopus migrauit è vita anno MD LXXXIII. ætatis ſeptimo ſupra ſexageſimũ, quo annorũ, honorũq; decurſu fuit ambiguum attulerit, an retulerit ab oblatis muneribus dignitatẽ. Humo mãdatus eſt Romæ in Eccleſia Diui Petri in Monte aureo, nec minore tumulo tegi poterat, qui Romana maieſtate vitam traduxerat.

Guelphus

Guelphus ex Comitibus Bigazzinis.

MVtuis se se ornamentis, redundantibusq; alterius in alterum laudibus Patriam illustrant Guelphus, & Rainaldus eius Pater Comitum Coccorani, qui modo Bigazzini dicuntur, eodē virtutis genere, ijsdemq; vitæ institutis commendati; dum enim Rainaldus ad Hierosolymam recuperandam strenuam in Asia operā præstat Gottifredo, Guelphus filius in Italia Vmbris Tuscisq; militibus pro Comitissa Mitilda cōtra Herricum IV. Cæsarē præpositus non minora suæ fortitidinis ostendit experimenta, dum Cæsaris copias aggreditur, dum vincit, & fugat, similemq; gloriæ palmam deindè consequitur cum alio Herrico V. Cæsare, qui amicitiā simulans cū Pasquali II. sūmo Pontifice,

Pontifice, ingressus Romam cum exercitu, Pontificem & Cardinales captiuos fecit, aduersus quem Populus Romanus, & Mitildæ exercitus, cui preerat Guelphus, tam fortiter pugnarunt, vt magna inimicorum cæde peracta Herricus tandem coactus sit, Pontificem, & Cardinales captiuos, non solum dimittere, sed in solio reponere, & ipse extra Vrbem aliò diuertere.

De eo Pellinus, Crispoltus, Laurus, & Iacobillus.

S. Herculanus I. Perusię Episcopus.

TE verò, qui primus Perusinæ Ecclesię Cælum humeris nūquam oneri succumbentibus tulisti, Herculanum ne vocem, an potius Christianæ militiæ fortissimū Herculem? tanto fabularum pręconijs

conijs dacantato Hercule maiorem, quanto per te opera fortiora sunt gesta, quantoq; domitis ab Hercule belluis victi a te, superatique præstantiores sunt animi. At quidem decebat tantam Vrbem parem Herculi habere antesignanum, quæ tot, tamque strenuos erat habitura pro Christi fide decertatores. Herculanus igitur non Ioue Deorum Principe genitus, sed Petri Apostolorum Principis facultate Perusiæ primus fuit renunciatus Antistes (vt validis argumentis in suo *Paradoxo* Historico Felix *Ciattus Perusinus* Ordinis S. Francisci Sacræ Theologię Magister probat, qui Herculanum e Syria in Italiam aduenisse cum S. Britio eius fratre, illiq; a S. *Petro* Perusinæ Vrbis sacrorum curam decretam fuisse testatur) ecce Centauros domat, & fęcundam Colubris Hydram, semperq; pullulantem lernęã luẽ

face, ferroq; oppressit. Dum igitur diuini eloquij telo, coniectisq; è Cælo flammis veterem superstitionem, & inanium Deorum cultum, nouis semper subindè sceleribus flagitijsq; succrescentem funditus ex Vrbe delet, ecce Cerberum stigyum Canē triplici catena constrictum non educit ad superos, sed perpetuo vinctum detrudit ad Inferos, dum euersa superstitione sacri lauaminis vnda tot hominum millia expiat in Vrbe. Par igitur omnino Herculi Herculanus, nisi fortè maiorem eo dixeris hunc, quod ille extructa pyra conflagrauit, hic flagellis cęsus, & facibus semiustulatus Fabiani iussu ex Domitiani Cęsaris decreto accepit vulnera, medicas manus per noctem corpori admouente Angelo penitus excussit, eamq; aquam, cuius potu ab hominibus prohibebatur in terris, præsente Cæli hospite cō-

mo-

moſtrante perenni hauſit fonte Diuinitatis, qua ſalutari vnda adeo confirmatus fuit, vt ex animi ſinu iucunditatis ſenſu in extima exuberante, ad *Præſidis* Tribunal faciem Angelo parem attulerit; nec domitas, ſuperataſq; feras in noſtro Hercule deſiderabat, qui eum iuſſu Præfecti ad beſtiarum paſtum cum *D*iaconis in Amphiteatro deiectū, vrgente licet fame, benigne tamen ab eis exceptum, & humaniter contemplabitur. Dum igitur belluæ *S*anctorum corpora lambentes, induunt quodammodo humanitatem, feritatem *Præ*ſidis, qui omnem ex animo exturbauerat ſenſum pietatis, grauius accuſant. Sed vltimam duxit Herculeæ fortitudinis lineam, dum lancea confoſſus tam certò *D*iuorum ſocietatem obtinuit, quam falsò conficta Diuinita-

Diuinitate Herculi donauit Antiquitas.

De eo F. Felix Ciactus, F. Io: Baptista Braccescus, & antiquissimi Codices.

S. Herculanus II. Perusiæ Episcopus.

E Syria in claustra Monasterij Perusini *D*iuo *P*etro dicati includitur Herculanus secundus; qui vitæ sanctimonia ad eius Monasterii præfecturam, & Abbatiatum, vt vocant euectus, non tam sanctitatis, quam optimi, prudẽtisq; moderatoris laudem consequutus est, quæ illum per veluti gloriæ gradus ascendentem ad Perusinum episcopatum licet reluctantem euexit. Diuinę demũ voluntati assentiens, se totum ad Ecclesiam suam reparandam, magnoq; animi feruore ad *D*ei cul-

tum

tum restaurandum tradidit, breuiq; temporis spatio Gregem sibi commissum verę sapientię potu vsq; adeo inebriauit, vt pro Christo, eiusq; fide omnia pati, necēq; subire gloriosum duceret. Itaq; mirum non est, quod in tam longa annorum septem, quam Perusia passa est obsidione, vt Diuus Gregorius refert, non tam hostes propulsandi, quam famem patiēdi eo Duce didicerint Perusini Ciues, qui Pastoris exemplo imbelles ad martyrium, & famem fortiter ferendam, fortesq; pro fide, ad pugnandum commoti, Totilę Gothorum Regis iram ad eam feritatem accenderunt, vt Ciues rebus omnibus ad victum destituti, deditione etiam facta fuerint magna ex parte cęsi, & Herculanus qui non tam Pastoris, quam veri Ducis officia expleuerat, capite obtruncatus Ann. D. 546. extra męnia proiectus fuerit suoq;

pre-

preciofo fanguine Vrbis noftræ fortitudinem roborauerit, quemadmodum facrum eius Cadauer capiti denuo coniunctum fuo contactu vitam cuidam putrido, & fetenti puero reftituit. An igitur hic in ipfo Dei confpectu in Cælo collocatus falutem, & gloriam Ciuibus fuis non impetrabit, qui mortuus puero vitam reftituendã curauit?

De eo Martirol. Rom. Baronius S. Gregorius in Dialog. Petrus in Catal. F. Io. Baptifta Braccefchus in tractatu de duobus Sanctis Herculanis Epifcopis Perufiæ, & Ludouicus Iacobillus in Vitis Sanctorum Prouinciæ Vmbriæ.

Hieronymus Ruſcellius Abbas Generalis Caſſinenſium.

HIeronymus Ruſcellius vt multarũ Diſciplinarum animiq; tranquillitatis lucra cõſequeretur, in Monachorũ Caſſinẽſiũ clauſtra ſe abdidit, vbi doctrina vitęq; probitate ad varia ſui Ordinis munia euectus, tanta prudentię laude ea adminiſtrauit, vt non tantum Abbas, & Prouinciarum Viſitator, ſed tribus vicibus totiûs Ordinis Præſidens Generalis omnium approbatione fuerit renunciatus; eiuſq; optimæ adminiſtrationis odor circumfuſus ad prudentiſſimum Ferdinandum Secund. magnum Hetruriæ Ducem peruenerit, qui tantum Virum pro ſuo Hoſpitalingo, vt vocant, requiſiuit, quæ Dignitas Floren-

Florentię eſt ab Archiepiſcopatu primaria; eādēq; ob cauſam Clemens VIII. Pont. max. eūdem pro ſuo conſcientiæ Arbitro, & pro magno S. Spiritus Hoſpitali Romanum Commendatarium vocauit, in quibus ille modeſtiæ & humilitatis fræno ſe cohibens, tantarum Dignitatum pondus recuſauit; primarijſq; ſui Ordinis Cænobijs, quibus identidem fuit præpoſitus ſolidis ædificijs magna Architecti laude obfirmatis, muſiciſq; ſonis mira ingenii elegantia locupletatis, cōſilioq; ſuo Præſidibus, Rectoribuſq; prudentiſſimo adiutis magnus Aſtrologus, Geographus, Mathematicus, Muſicus, Philoſophus, ac Theologus, prçcognita obitus ſui die, Diuinis Eccleſiæ armis ſe muniens cōmunem Hoſtem intrepidè propulſauit, placidamq; mortem pænè ſeptuagenarius ſuſcepit anno MDC IV. Annis pariter, & virtutibus onuſtiſſimus.

Iaco-

Iacobus Piccininus.

COmes Iacobus Piccininus Veneti, & Mediolanensis exercitus Imperator, incl yti Nicolai filius, ideo magnus quod Patre non minor, vexans Franciscum Sfortiam etiam post ductam Vxorem Drusianam eiusdem Francisci filiam, docuit Hymenæum arma tractare Hercule fortior, qui inter illecebras voluptatũ nõ fractus armatũ retinuit animũ. Exercitũ Ioãnis Andegauensis aduersus Ferdinandũ Neapolitanorũ Regẽ duxit, non ad praelium, sed ad triumphum. Brutios, Calabriam, Apuliam non lustrauit cursibus, sed illustrauit victoriis, fortunam suam dum super Orbem imposuit, instabilem reddidit fortior, quam felicior, actus aduerso Marte dũ pugnat cum quatuor Principum copiis, non inultus recedit, ipsum

Scan-

Scanderbechum hoſtem militaris diſciplinę miraculum habuit laudatorem; Ferdinandum Regem ideo offendit inſidiatorem, quia debellauerat, infami proditione in carcerem coniectus vinctus nō victus interficitur, ſupremus martialis Regni Iudex Pauli II. ſummi Pontificis Oraculo; inter anguſtias carceris poſt fatum bellare deſtitit non viuere. Obijt anno MCDLXVIII.

Iouinianus Pontanus in eius vita, S. Antonin. in Cron Bzouius, Gordonius, Iouius, Tarcagnota, Sabellicus, Volaterranus, & cæteri ſcriptores.

Fr. Ignatius Dantius Episcopus Alaterensis.

BEnignioris Astri influxu *Dantium* Familię datum est Mathematicos gignere, ita ut nec educationis, aut Religionis disciplina eidem aliò diuertere fas fuerit, quod apertè demonstrauit Ignatius, qui optimis literis instructus in *Diui Dominici* Familiam ingressus, Philosophię sacręq; Theologiæ studijs incūbens, Mathematica studia relinquere non potuit, in quibus adeo excelluit, vt Auos superauerit. A Cosmo I. magno Hetruriæ Duce, Florentiā vocatus, vt Mathematicam doceret, eius stipendia magna cum laude promeruit, tantiq; Principis colloquijs sæpissimè usus est, dū illi spherā, & *Ptholomeū* explanaret. eandē deindè facultatem Ignatius magno audientiū fructu

Bononiæ

Bononiæ docuit, & in Patriam reuersus, eius, & totius ditionis ęneam tabulam æquis mensuris, & Castrorum Pagorumq; interuallis formauit. Ita Viri tanti scientiæ fama ad summi Pontificis Gregorij XIII. aures perlata, Romã vt vocaretur effecit, cui Tabularum formandarum, ac pingendarum Vaticanę, vt vocant, Gallariæ prouincia demãdata est, axactoq; Regionum, Prouinciarumq; interuallo, & mensura iuxta Geometricas dimensiones opus illud formauit tanta omnium admiratione, vt Gregorius XIII. tanti Viri virtutem absq; Dignitate delitescere nefas esse ducens, illicò eum Alateranum Episcopum cõstituerit; & Sixtus V. vt ad summum Diui Petri Tribunal peruenit, egregias Viri huius virtutes optimè noscens, Romam eum redire iussit: sed dum ille, vt summi Pontificis pareret iussis, Romano se

itineri

itineri committere credit, viridi adhuc ætate Anno MDLXXXVI. illud Cæleste compleuit, lucubrationibus varijs in hac facultate eruditissimis exaratis.

Ioannes Montesperellus

IN Ioannis Montesperelli imagine, & Petrutij Nerei vides qui hasce tabulas, & elogia oculis, & mente perquiris: Hic enim Perusini exercitus Imperator fortitudine, & prudentia sigulari, & Hosti metum incussit, & suis parauit securitatem. Hæc gemina virtus, eum Carolo Regi Neapolitano tam gratum fecit, vt Pisas illi gubernãdas firmauerit. Patria ipsa huiusce Viri consilia commune ius, communia documenta putauit, illi magnarum rerum summam credidit, & legatos ipsos illi

isli eligendos permisit, qui ad Reges publico nomine mitterentur. Ciues, inquies, Ciuem amabant, at istud gloriosum puto amari a Ciuibus, quod Græcis, Romanisq; Ducibus rarò contigit. Enimvero rebus benè gestis gloriam parare, humanæ, partam verò gloriam non modo non inuisam, sed amabilem reddere, Diuinę Virtutis est.

De eo Pellinus, Laurus, Maturantius, & Iacobillus.

Ioannes Gregorius vulgò Citolus.

IOannes Gregorius vulgò Citolus nuncupatus (quę vox *Perusiæ* puerulum sonat) vix dum pubertatē ingressus, a tribus Sicarijs circumsessus, ex his duos

confodit

confodit, tertium fugauit. Eo tyrocinio, & egregiæ indolis fundamento iacto, militiæ nomen dedit sub Balionorum, & Pauli Vrsini disciplina enutritus. Hinc per meritorũ veluti gradus ad præcipua militaria munera euectus est. Patauium obsidebat Maximilianus Cæsar, quo tempore Venetam Remp. ad extrema rerũ adegerat; ergo Citolus, cui præcipuę partes tuendę Vrbis eius fuerant demandatæ, (tribus enim militum millibus præerat) murorum partem cuniculis actis suffodit, cuniculos puluere tormentario oppleuit, tum timorem, ac fugam simulans Germanos oppugnationi acriter instantes ad ascensum impulit, ac veluti inescauit; vix tum insederunt, cum nec opinantes, horrendum dictu, ascenderant enim ad quatuor millia, admoto igne ad vnum omnes fragore horribili concusso

disiectoq;

disiectoq; muro periere; ea militũ iactura despondere animos, & obsidionem soluere cogitur, adeo res Veneta hoc facinore ad spem fortunæ melioris erecta, haud multò post ditionem vniuersam recepit. Nec parum eiusdem gloriæ accessit, cum octingentis equitibus *Præfectus* Franciscum Gonzagam Mantuę Dynastam pręlio captiuum opima cum præda abduxit. *D*emum annis adhuc immaturus, maturus gloriæ in Veronensi óbsidione læthali accepto vulnere moritur anno MDV. non minore Veneti Senatus dolore quã damno, cuius *D*ecreto equestris illi statua in *D*iui Antonii Templo *P*atauii collocatur mæroris solatium, & grati animi monumentũ.

De eo supracitati scriptores.

Ioannes

oannes Paulus I. Balionus.

ENituit in Ioanne Paulo primo oris, & corporis eximia dignitas ad seueritatem prona, eloquentia militari studio requisita excellens, eius mores in bello, & in castris nemo carpsit. Fuit ingenio acer, manuq; promptus Baioarici sanguinis se ad imperia natum ostendit, dum Bracchij pronepos eius fortitudinem, & militarem gloriam hæreditario veluti iure suscepit. Is e Patriæ limine pulsa Oddorum familia, cum præpotentes, atq; æmuli Ciues deessent, cumq; ad imaginē inuidiosæ Tyrannidis in Patria dominari cæpisset affines etiam, ac Propinquos sibi insidiantes, vicit, & expulit. Fuit hic Balioneę gloriæ compendium, Perusinus Cæsar in bello, si ætatem inspicias primo quasi vitę vestibulo

in gradu militari locatam, & dũ plurimum debellata potentia in Patriæ dominium vti emeritus, eius vindex accessit, inde à Florentinorum, & Senensium Rebus publicis euocatus, mox Veneto rum exercitui Dux generosus imperauit, sic vna cum ętate dignitas creuit per gradus, qui sua veluti nota, ac raritate distinguere-tur, nisi imperium Balioneis Ducibus deberetur: sed propinquorũ, vt credebatur, inuidia Leoni X. summo Pontifici criminosissimè delatus, deceptusq; sua ipse in agnoscendis alioqui benigni, sed tum ambigui Principis sensibus ceruices vltrò præbuit anno MD XX. die ii Iunij.

De eo Iouius in Elogijs, Tarcagnota, Maturantius, Sansouinus, Guicciardinus, Pellinus, Iacobillus, & alij.

Ioannes

Ioannes Paulus Lancellottus I. V. C.

AVgustum hoc Disciplinarum omniũ Perusinę Vrbis Gymnasium non solum Bartolos, Baldos, Angelos, aliosq; innumeros præclaros Iuris interpretes, quibus feliciter legum abdita pandere datum est, sed Dorotheos, Paulos, & Trebonianos protulit, qui leges, & statuta conderent, easq; in vnum colligerent: inter quos principem sibi locum vindicat Ioannespaulus Lancellottus, cui ob eximiam doctrinã Pontificio iussu impositum est, immersa illa sanctorum Patrum, Conciliorumq; placita, nec non summorum Põtificũ sanctiones in quatuor libros colligere, vt essẽt Iuris totius Canonici quasi prima elemẽta, Institutionesq; Canonicas vocauit, quę in Romana Aula a Viris clarissimis

Innocentij ix summi Pontificis iussu recognitę vehementerq; probatę in lucem prodierunt tanta Auctoris gloria, vt Lancellottus Perusinus Trebonianus vocaretur, ad quem audiendum in suggestu, & conspiciendum, ac venerandū ex remotis regionibus Transalpini plurimi huc aduenere, qui Viri tanti virtutem admirati publicū testimonium, quod cum ab illis visum auditūq; testaretur, in Patriam referre voluerunt. Tractatum etiam edidit de Regulis Iuris, & alium de comparatione vtriusq; Iuris, multasque poeticas lucubrationes, quę præclari eius ingenij præstantiam illustriorem faciunt. Demum octuagenarius magno Patrię Peritorumq; dolore obijt anno MDIXC. & magno funere sepultus est in sacra Diui Francisci æde sibiq; viuens epitaphium concinnauit.

D. O. M

D. O. M.

Qui fuerim, aut quid viuens egerim, fortè si quæris; hominem scito fuisse me, quem parandis fluxæ vitæ commodis intentum, nec opinantem Mors oppressit. Tu si sapis aliena stultitia ad tuum compendium vtere, idem enim te cito manet casus. Quamdiù vixerim, quaue morte obierim, nec ego diuinare potui, nec tua interest scire.

Ioannes Vincentius Ondedeus I. V. D.

ONdedeus nobili genere Eugubij natus, Perusiam bonarum artium capessandarum causa contendit, in qua claro Montesperellorum Coniugio copulatus, Perusinus Ciuis, & Iuris consultus euasit, breuiq; temporis spacio præexcellentis ingenij,

solidæq; doctrinę specimen illustre præbuit. Consiliorum enim ingẽs volumen in iuuentute scripsit, & edidit, quod non solum Perusiæ, sed Vrbi, & Orbi, atq; in sacro illo peritissimorum Patrum Auditorio magnæ fuit admirationi; etenim Clientum turba ad eum pro responsis confugientium tam frequens quotidie fuit, vt eius domum Apum veluti examẽ frequẽtarent, ex eius nãq; Nestoris lingua melle dulcior fluebat oratio; æquitatem iustitiãq; suadens, quare magnam sibi auctoritaté cõparauit, tantiq; Viri voto Iudices ferè omnes quiescebant. Demũ altero Responsorũ volumine edito in virilitatis flore omnium dolore decidit anno MDCII. additusq; Perusinæ Vrbi, eidẽ ipse gloriam non paruam addidit.

Iulius

Iulius Oradinus Rotęκom. Decanus, & Perusinus Episcopus.

NVllum profectò literatorũm maiore merito, quam hoc ęquum tuæ prętantiæ laudantiũ tenuitate iniquum præconium auditur, Iuli Iuris consultorum omnibus numeris longè absolutissime, atq; doctissime. Oris dignitate, facieq; decora, grauitate spectabili literarię Reip. Senatoris maiestatem intuentium oculis subijciebat. Iuris prudentiæ difficultates in Patrio Gymnasio ea cum laude enodauit, vt eius lectissima ingenii altitudo fuerit summorum planè Virorum cohonestata iudiciis, suffragiis confirmata, commendata encomiis, omnium & voto & voce Ciuium. Egit ad Carolum V. Cæsarem summosque Pontifices non semel

legatum; Patauiū accitus in principe suggestu principem *Doctorū* facilè obtinuit locum; mirum adeo non est, si Romam Vrbem famę capacissimam non modo implere potuerit vniuersam, sed Iulio III. tale sui desiderium excitare, vt ab eodem Romanę *Rotæ* renunciatus fuerit Auditor, & ob eximij lumen ingenij *Pontificium* spontè in Cubiculū euocatus fuerit, voluit enim propius præexcellentis disceptantis Oradini felicitate perfrui: exuberantis quoq; ingenij nobilitatem, studiorum fętus edita volumina luce dignissima testantur, sera tandem ętati, cita tamen, & acerba tum sapientibus omnibus, tum nominatim Gregorio XIII. Pontificum integerrimo, & optimo ingrata maximè Oradini mors accidit, & luctuosa, vt non dubitauerit lacrymis etiam in ipso *Purpuratorum* Senatu integerrimo Chri-

stianæ

ſtianæ Reip. Areopago dolorem teſtari ſuũ, quaſi vero mortis acerbitate negante, Vaticana purpura coronare non potuerit ſapientiam tantam, ſiue ad aliorum incitamentum, ſiue ad Oradinæ integritatis monumentum, quãquã exornatus obis, Oradine, hoc ſolo iudicio ſatiš tibi ad omnem exornationem, ac poſterorum memoriam fiṙit, Gregorio Pontificum ſapientiſſimo placuiſſe. Obijt die 6. Auguſti 1573.

S. Leo I. Pontifex maximus.

LEonem, cui rerum geſtarum magnitudo magni cognomen fecit, antiquiſſima Peruſinæ Vrbis monumenta Peruſinũ fuiſſe teſtantur. Quare quem maiores noſtri conciuẽ habuere, nos poſteri vt ſingulare Patriæ decus

veneremur. Natus Quintiliano Patre, puer Romam iuit, & sacris, profanisq; literis insigniter eruditus, primum Romanę Ecclesiæ Cardinalis Diaconus, tum Pontifex renunciatus est. In eo fastigio constitutus effecit, vt illicò sentiret Orbis, cui capiti subesset. Primum Pontificiæ sollicitudinis specimen, exitiumq; Hęreticorũ, Manichæos *Romę*. *Pelagianos* in *Campania*, *Priscillanitas* in Hispania vno ferè impetu profligauit, Nestorianos defensa Ephesina synodo contriuit; Euticheten data ad Flauianum Constantinopolitanum Antistitem epistola redarguit, eundem acrius instantem habita Calcedone synodo, sacris proscripsit. *Subindè* Attila Hunnorum Rex, excisa Aquileia, infesto exercitu Romam petebat, trepidantibus Ciuibus Leo barbaro Regi, qua Mincius insluit in Padum, occurrit, Diuinaq;

dicendi vi persuasit, vt conuersis signis incruentus abiret. Exegerat in Pontificatu annos ferè vnũ & viginti, & re christiana nauiter administrata, excessit rebus humanis, die x Aprilis, Anno salutis CCCCLXI.

De eo Pompeus Pellinus, Crispoltus, Laurus, & Monumẽta antiqua Perusina; Scipio Ptolomeus, & Iacobillus.

Leander Signorellus.

AT nunc armatas literas dabo, Leandrum ex nobili Signorellorum familia, in quo quid magis suspiciam robur, an doctrinam anceps sum. Multa Italicè scripsit, in omnibus sibi similis, elegãtiæ, ac leporis plenissimus; at in eo opere, quod inscripsit Erophili, & Aemiliȩ amores, quo Attiũ

Since-

Sincerum ęmulatus eſt, ſe ipſum vicit. Multi, vt id operis in publicam lucem daret ſuaſere, ſed ipſe maluit ſua praelo digna haberi, quam exprimi. Haec inter arma ęquè, ac calamum tractauit, æquè Marti carus, ac Phæbo. Sed virtutem perpetuò inſectatur Inuidia, & nemo bonus liuorem non eſt paſſus. Amabatur Signorellus à Leone X. *Pontif.* Max. qui eius gloriam ferre non poterant, id demum egere, vt tanto *Principi* redderetur inuiſus. Nunquam clarius conſtitit, quid Muſarum lepor valeat, quam hoc exemplo. ingratum iam erat Leonis auribus Leandri nomen, cum fortè eius carmina in *Ponti*ficiæ manus venere; Legit Princeps literarum amantiſſimus, & carminum ſuauitate delinitus, iterum non ſolum amauit, quē eiecerat, ſed illum Artis militaris machinarumq; componendarum ad tu

tandas

tandas Arces iuxta Mathematica prçcepta peritissimum, ad Rhodium ad magnum equitum Hierosolymitanorum Magistrum honestissimis condicionibus eius successor Adrianus VI. transmisit, vt Equitum sedem illam, cui Turcæ obsidionem minitabantur, tueretur. Sed in cursu erat, vt occurreret, & expugnatum nobilissimum Christianæ fidei propugnaculũ accepit; ergo ad suos redit, præcluso ad labores, quam ad gloriam aditu tristior, cum a Rep. Florentina paulò pòst tormentis bellicis summus *Præfectus* eo in munere tam strenuam operã prçstitit, vt fortis, & excelsus omniũ digito mostraretur. Sed ante huius muneris, eiusq; virilitatis cõplementum Florentiæ fato cessit anno MDXXX. suo docens exẽplo, frustra artes alias tentandas ei, qui cupit amari, quam virtutis arte, hæc enim sola amorem

extor-

extorquet vel ab inuitis.

De eo Pellinus, Crispoltus, & Iacobillus.

Leggerius Andreotius.

HIc in ipso iuuentutis flore Ludouicum Bauarum pro Friderico Austriaco sic pugnauit, vt non solum fortissimi militis, sed prudentissimi Ducis laudem assequeretur. Subinde in Patriam reuersus, armorum imperium contra Cortonenses a Conciuibus accepit, fortunam fortibus inuidere aiebat ille, primo cum Cortonésibus congressu fortius pugnauit, quam felicius. at iterum motis armis fortunam velinuitam in suas partes pertraxit cruenta strage edita, rebelles repressit, eorũ Dynastam ad veniam pacemq; petédum

dam Perusiam adduxit. Interea ab Vrbano V. Pont. Max. in Italiam ex Gallia summo cum imperio transmissus Cardinalis AEgidius Albernotius Legatus Apostolicus ad recuperandas e Tyrãnorum potestate Ecclesiasticas Prouincias in mandatis habuit, vt Perusinæ Ciuitatis armis vteretur ad victoriam; ergo cum Perusinorum arma legatus implorasset, Ciuitas hæc validissimas equitum turmas volens libensq; concessit Perusino militi Andreotius præfuit, & incredibili virtute, ac celeritate Oppida multa inter, quæ Viterbium Apostolicæ Sedi restituit. Idem in agro Piceno Asculanæ Ciuitatis Gubernator constitutus, cum ob morum suauitatem ab Asculanis in Dynastam peteretur, importuna seditiosorum studia constanter reiecit, & cũ posset noluit dominari, nescio an maioris sit virtutis regnum

edi-

adipiſci, an ſponte oblatum reiicere. Subinde Peruſiam rediјt, vbi rerum geſtarum gloria inclytus ad eum Dignitatis gradum venit, vt Pater Patriæ ab vniuerſo Populo acclamaretur, planè felix, niſi luctuoſus ei accidiſſet obitus. Per Vrbem animi cauſa deambulantē inuidus neſcio quis e feneſtra lapidis ingentis iactu, magna totius Populi Peruſina indignatione oppreſſit.

De eo ſupracitati Autores.

Lucas Iordanus.

HVic Patria tantum debet, quantum è Ciuibus vix alteri. Pronubum Virginis, quæ Deum genuit, Anulum a Iordano Peruſia accepit; hoc eſt id munus accepit, quo non modo exornatur, ſed remotiſſimas etiam apud

Gentes

Gentes prædicatur. Germanus Clericus clam Anulum ex AEde Diuæ Mustiolæ Clusij sacra subduxerat, vt Patriam piissimo Thesauro ditaret. Ibat in Germaniā, & Perusiam veniens, Lucam Iordanum hospitem habuit, apud quem noctem ageret. Illuxerat dies, cum Clericus constitutum iter ingressus, sensit occulta vi se detineri *Perusiæ*. Dignum *P*osterorum memoria prodigium: Integram diem cum ambulasset, pedem extra Ciuitatem haud potuit efferre. Ergo ad Hospitē reuersus, quod euenerat, exposuit. Lucas *D*iuinitus id factum cum assereret, ita Clerici animum commotum iam perculit, vt Hospiti Anulum illicò relinqueret. Bono Ciui carior est *P*atria, quā ipse sibi, mauult publico, quam priuato bono consultum. Lucas asserere sibi Anulum cum posset, piissima ac venerabili munificētia illicò

illicò *Patriæ* donauit, dignissimus, cui perpetuum grati animi testimonium *Patria* exhiberet. illi, posterisq; quicquid æris ex signatis mensuris contrahitur, *Senatus Pe*rusinus adscripsit.

De eo citati Scriptores.

Malatesta I. Balionus.

REuise tandē hanc Vrbem *Pa*triam tuam, omnium bonorum votis expetite Malatesta, quæ te in signum beneuolentiæ non vulgaris, qua te prosequitur, *Patremq; Patriæ*, honestissimo scilicet vocabulo appellat, hoc vno nomine indicans, te vindicem Patriæ libertatis, & exulantis iamdiu *Perusinæ* nobilitatis solamen vnicum. Reuise tandem, in quam, renascentem per te no-

biliū.

bilium Ciuium gloriam, & in noua Patria per te iterum condita, veterem hoc est Martium spiritū recognosce. Nam illa Vrbs, quæ te vt optimos Ciues, factiosorū quorundam coniuratione tandiu exules in *Patriam* reduceres, *Ducem* simul delegit, & reuertentem cum manipulo clarorum Ciuium, reclusis *Portis* gratulabunda ante recepit, ita nunc triumphantem Assisio sub auspicijs magni Bracchij capto, & deleta etiam Vrbe ueteri, quę cōtumacius obstiterat, auctum etiam connubio sororis Bracchij de Fortebracchijs ante accepti non immemor, vt parentem optimum, pietate vero obsequentissimum filium apertis vlnis peramanter amplectitur, & colit.

De hoc Iouius, Sansouinus, Cāpanus, & supracitati scriptores.

Malatesta

Malatesta II Balionus.

REprime militarem impetum Malatesta, ætatis calore pręferuidum, & bellatricis indolis impetum aliò deflecte, ne in Patriā impius esse videaris. Hoc afflicta Patria tuis quāuis iustissimis armis a te petit, & perniciem sibi imminentem verissimis lacrymis, non tam de sua incolumitate, quā de tua salute sollicita deprecatur. Venetorum Resp. te inuitat, vt in oppugnanda Cremona, & pellendis Laudo Pompea Cæsarianis sibi præstò sis; hęc enim inuictæ virtuti tuæ debita trophæa reseruantur, vt postea Florentinæ Reip. pertinacissimè libertatem suam propugnanti summo cū Imperio præsis armatus. Quod si desperatis auxiliis, & sęua ingruente fame nobilissimę Ciuitati libertatem non asseres, saltem a su-

a furore efferatorũ Hoſtium, qui opulentiſſimæ prędæ inhiant, ſeruabis incolumem. In magnis voluiſſe ſat eſt, & mala, quæ vitare nequeas, ſi imminuas, multum agis.

Referunt de hoc Scriptores ſupranominati.

Marcus Antonius Bonciarius.

CVm aduerſa Fortuna durum prælium hic ſuſcepit, at intercludentem ad ſapientiam aditum feliciter deiecit, glorioſior, quò grauiora paſſus. Ante virilitatem oculos, manuſq; amiſit, & tamẽ ſapientiæ adita rimatus eſt, & plurima ſcripſit, quæ Orbis veneraretur, vſq; adeò volenti nequit ſapientia prohiberi. Patriæ iuuentuti erudiendæ operam ſuã

ſedulus addixit; quo fructu, teſtantur qui ex ea ſcola prodiere Oratores, ac Poetæ. Magnis ſtipendijs a Mediolanenſibus ad publicam Bibliothecam Ambroſianam inſtruendam curandamq; vocatus, maluit Patrię prodeſſe docendi labore, quam ſibi promerendis ſtipendijs. Dedit in publicam lucem profutura adoleſcentibus latinę linguæ rudimenta; addidit Orationum, & Carminum volumina, ſed ex Epiſtolis plauſum præcipuè retulit. Anno ſalutis MDCXVI. die 9. Ianuarij tantum Virum Peruſia deplorauit extinctũ, quem tamen grauiore luctu deplorarunt Camęnæ.

De eo Io: Baptiſta Artemius in eius funerali oratione, Iuſtus Lipſius, M. Antonius Muretus, Fabius Pontanus in Antiquitati Fulginiæ, Io: Baptiſta Laurus, & alij.

B Mar-

B. Margarita Lauiani, vulgo de Cortona.

LAuiani in ea Perusini agri parte, quæ Oddorum Comitatus est, nascitur Margarita, cum excelleret forma, ætatis vitio maluit turpiter amari, quam laudari honestè. Diù non aberrat, quē leuitas veriùs seducit, quàm voluntas. Margarita vix errauerat, & vberrimis lacrymis scelus abstersit. Quare quę prius voluit homini placere, potuit deinceps a Numine amari. Longum esset, aut eius in virtute progressus, aut Numinis in eam beneficia referre. Ipsa in id vnum intenta, vt qua ratione posset Numen promereretur, omni virtutum flore animum exornauit. Deus vt suum in Margaritam amorē testaretur, vires fæminæ euexit supra naturā,

mitto

mitto reliqua, Numine fauenti, hominibus omnino decẽ vitafunctis, vitam restituit Margarita. Agebatur fundatæ salutis annus MCCXCVII. & terris subducta Cęlo per Angelos illata est semper victura feliciter; sepulta Cortonę in Ecclesia Fratrum Minorum, ex ea Vrbe nomen traxit Leone X. Pont. Max. decernente sacris fastis adscripta, hodie colitur ad Aras.

De ea habetur in Cronicis S: Francisci part. 2. lib. 5. in Annalibus Ord. Minorum, F. Luca Vuaddingi, & in Annalibus Vmbriæ Ludouici Iacobilli, & in Alphonso Vuillega in p. par. Flos. Sanctorum.

Neapolio Comitolus Episcopus Perusinus.

NEapolio Comitolę Familiæ postremus, politioribus literis apprimè excultus, lauream ex Philosophia retulit, & Iurisprudentia: hanc Patrio etiã in Gymnasio docuit cum plausu. In Romana Curia certissima doctrinæ experimenta cum dedisset, à Sixto V. Pont. Max. Abbas creatus inter duodecim Romanæ Rotæ Auditores adnumeratus est. Obijt id munus tum fide summa, & integritate, tum prętantis doctrinæ opinione annos plures. Ex inde à Gregorio XIV. Perusinus Antistes renunciatus, expressit formam optimi Pastoris. Pecuniã infra omnia semper habuit, effusus in pauperes, & ornatum Templorum. Aere proprio Fanũ Diuo Herculano sacrum Perusiæ

restituit, *Cænobium* adiunctis domibus coemptis erexit, patriaq; hæreditate locupletatum *Clericis Regularibus*, quos a *Diuo Paulo* vocant, a se accersitis adscripsit. Septuagesimum, & quintum excesserat annum, & quasi senectutis incommoda non sentiret, adhuc Gregi strenuè consulebat, cum Mors illum oppressit (& fuit die 30. Augusti 1624.) quam tamen quotidiè Vir optimus sic pręstolabatur, vt mortuorum sibi vigilias quotidiè occineret. *Præ*fuit sacris annos omnino tres & triginta, defunctum veneratus est *Populus* pijssimè, vt viuum laudauerat. Fama est plurima a *Deo* supra naturam per Neapolionē gesta fuisse. *Potuit* a Deo huc euehi, qui plurimū egit, vt *Deo* placeret.

Nico

Nicolaus Piccininus.

HVnc Virtus exornat, non Genus: lumen, quo fulget suũ est, non alienum; vili loco natus, & corpore exiguus, animi magnitudine naturę vitium correxit, maru promptior, quam lingua; militię tyrocinium Bracchio Magistro primum fortiter peregit, mox cũ laude equitum etiam Centuriam duxit. Bracchio extincto, Oddoni eius filio Florentinorum Imperatori operam addixit, rebusq; præclarè gestis effecit, vt in illius extincti locũ a Florentinis haud ita post subrogaretur. longum esset, quæ pro Florentinis armatus peregit, referre; sui nominis maiestate Italiam compleuit vniuersam, expetitus a principibus quã multis maluit PhilippoMariæ

Vicecomiti Mediolãnensium *Duci* adesse. Itaq; exercitum tanti *Principis* ducendum cum accepisset, ad Imolam *Pontificias*, Venetas, & Florentinas copias in Ducẽ coniuratas, vno impetu profligauit. Bononiam obsidione soluit, Nicolaum Tolentinatem Florentinorum *Ducem*, Thadęum Estensem, Paulum Vrsinum in triũphum captiuos egit. Sub hæc Venetorũ primum, deinde Florentinorum ditionẽ adortus in agro Bergomate Gattamelatã Narnien. priminominis Imperatorẽ vicit. Luccã in Hetruria a Florentinis tanta felicitate vindicauit, vt equestrem statuam, & statos quotannis ludos Victori Reipub. decreuerit. Poterat videri satis gloriæ dedisse, tamen nouam exornandę virtutis materiam nactus, Carmagnolam propè Cremonam aggressus, ab obsidione reiecit. Venetam in Eridano classem expugnauit, ac cæ-

pit,

bit; eodemq; victoriç cursu Barnabonem Adornum noua molientem, victum victumq; Principi obtulit. Montisferrati Marchionem ditione exturbauit. Vallemtellinam in potestatem Vicecomitis Ducis redegit. Planè dignus, qui & a Vicecomite in Familiam suam, & ab Alphonso Aragonio in suam adlegeretur. Nulli vnquã ita fortuna fauit, vt aliquando nõ deesset. Bis insigniter victus est, a Florentinis semel ad Angiariam; iterũ a Francisco Sfortia ad Veronam. Quo prçlio amissis rebus & profligatis copijs a milite Germano, vel sacco, vel cista inclusus periculo subductus est. Obijt triumphis clarus Mediolani anno MCDVL. Mediolanensium Dux, cuius rem nauiter multos annos gesserat, funus extincto splendidè curauit, marmoreum sepulcrum posuit. Demum confirmata Filijs Oppidorum ditione quam Patri

dederat, Parent's merita traduxit in filios. Ingratus sim, si collata a Nicolao in Patriam beneficia omittam. Sit hoc igitur coronæ loco: vocatus a Perusinis, vt Patriam a Francisco Sfortia tueretur, adfuit celerrimè, & Tudertum, & Assisium subiecit Patriæ. Iterum in Patriam veniens, suæ illam Potestati restituit, emisso legato, qui pro Pontifice Vrbem regebat.

Io. Baptista Poggius, & Pompeius Pellinus in eius vita, Paulus Iouius in elogijs, Tarcagnota, Sansouinus, & cæteri scriptores.

Nicolaus Stella ex Fortebracchijs.

NIcolaus ex Stella Fortebraechii sorore natus, sub auũculo adolescens meruit. Eo sublato, maiori copiarum eius parti præfectus, Philippo Mediolani Duci aduersus Franciscum Sfortiam militauit. Sub inde ad Eugenij IV. Romani Patris stipendia traductus, Pontificios hostes domuit. A Florentina verò Rep. dictus Imperator Lucenses grauiter pressit. His victorijs nobilis in Patriam mox rediit, & omnium plausu receptus aduersus finitimos bella suscepit, & longè, lateq; victricia arma circumferens, auxit dominatum. Post hæc Nicolai V. pont max. animum offendit, vel quia iã potẽtior timebatur, vel quia supra

multos euectus, pati poterat inuidiam. Strenuo sæpè deest consilium, & liber animus magis quid placeat, quam quid deceat attendit: arma in Pontificem Stella mouet, & ille quidem mutato habitu, Roma se proripuit in Hetruriam. Hic Romę a Ciuib. exceptus, paulò post Vrbem reliquit, vt Franciscum Sfortiam Biturgię imminentem repelleret. Bellum optato non caruit euentu; Franciscum nō modo Biturgia repulit, sed Vmbria etiam, & Hetruria expulit: Leonē vero Francisci fratrem Fulginei victum, in Assisij Arcem captiuū duxit. Nemini vnquam ad extremum vsq; Fortuna fauit. Insectabatur in Piceno Sfortianos Nicolaus, & sagitta per oculum immissa occisus est anno MCDXXXV. extinctum milites detulere Assisiū solemni pompa sepulcro inferendum. Decet extremo loco insigne eius pietatis in Auunculum exemplum

plum adſcribere. Sacro carebat ſepulcro Bracchius, a Pontifice olim viuus anathemate notatus. Nicolaus apud Pontificem egit, vt expiatus Peruſiæ in Aede Diuo Franciſco ſacra conderetur anno MCDXXXII.

De eo Blondus, Sanſouinus, Tarcagnota, Pellinus, & alij ſupra nominati.

Nicolaus a Staffa.

NIcolaus Armannius ex ijs, qui modo à Staffa dicuntur, Atauorum imitationi intentus, ingentem animum ad militiam detulit; plurimis in Italia bellis interfuit, ſemper cõſtans, & ſui ſimilis, itaq; non ſolum peditum, equitũq; manipulos & Centurias regere, ſed Imperatoris etiã munera obire pro dignitate poſſe viſus eſt. Bellũ erat Peruſinos inter & Are-

tinos. Ergo Senatus Perufinus fuis copiis præfecit Nicolaum ratus fore, vt eo Duce Aretinorum contumacia confringeretur. Spes succeffu non caruit anno MCCC XXXV. tanto impetu in hoftes irruit, vt profligatis eorum copiis, agris deuaftatis, dirutis Ciuitatis mænibus, non modo ferocientium audaciam fregerit, fed coegerit etiam victos quot annis tributum pendere Victoribus. His ex voto geftis, rediit in Patriam, in qua non honeftius tunc exceptus, quam habitus deinde eft. *De eo fupracitati fcriptores.*

Fr. Nicolaus Alexius Perufiæ, & Vmbriæ Inquifitor.

COnculcatæ ambitionis exemplum hic eft. Perufinæ Ecclefiç Canonicus iam defignatus, in Prædicatorũ clauftra tranffugit vt honorẽ reiiceret. Nulla eft hu

manis

manis animis exornandis apta facultas, quã ipse non calluerit. Cum licuit a grauiorib. feriari, suauiores Musas coluit Phœbo gratissimus, vt immensa eius monumenta testãtur a *Paulo* III. rursusq; a *Paulo* IV ad sacras Conciones adhibitus, cũ grauiter in Principum vitia inueheretur, ipsis tamen placuit Principibus, vsq; adeo sacrorum armorũ tractationẽ norat, vt cum pugnaret, amorẽ eliceret nõ irã. Subindè Pius V. in Petri Naui sedit ad clauũ, cuius Nepotis Cardinalis scilicet Alexandrini præceptor fuerat Nicolaus, æquissimus *Pontifex* veræ virtutis ęstimator sacras Infulas Nicolao obtulit. At hic cõstanter reiectas maluit in alijs venerari, quã gerere. Iussus in Vmbria in Hæreticos inquirere promptissimè paruit, semper oneris, quàm honoris amãtior. Obijt anno MDLXXXIII. pluribus lucubrationib. cudẽdis apud fratres & suos relictis.

Octauianus Signorellus.

HIc incomparabili animi magnitudine præditus in *Romanæ* Ecclesiæ obsequium militares *Præfecturas* cum laude administrauit; ob rerum præclarè gestarum gloriam à Malatesta *Balio*no *Consanguineo* suo Florentinæ Reipublicæ armorum Imperatore Legatus renunciatus, Florentiam contra Clementis VII. *Pont.* Max. & Caroli V. Cæsaris arma diu, & pertinaciter defendit. Ex ea Vrbe sæpè cum fortissimis suis militibus erumpens in obsessores, hostili sanguine inimica Castra cruentauit: ferè iam annum tuebatur Vrbem, cum fame vrgeri grauiter miles cæpit. Octauianus eruptione iterum facta, ingentem annonę copiam ab Inimicorũ manibus eripuit; hanc in Ciuitatem inferre dũ conatur plũbeo globo trãsfossus

ſus interijt. Cadauer a militibus in Ciuitatem delatum, ſumptuoſo funere curatũ eſt anno MDXXIX.

De hoc referunt ſupracitati ſcriptores.

Oddus de Oddis Vagliani Marchio.

VT claritate generis in omnẽ honeſtatem vocatus, ita ab militari virtute in curam Imperatoriç dignitatis videtur aſſumptus. Ideam Imperatoris, in *P*ompeio ab Oratore Romano deſcriptam, *R*omano ſpiritu Heros ipſe *P*eruſinus expreſſit. Singulare fortitudinis, & militaris celeritatis dedit experimentum, cũ Roberto Neapolitanorum *R*egi carus, eius ope aduerſus Henricum comitem pro Patriæ ſalute validiſſimum exercitum adornauit; & verò cum victoria

victoria. Paucis multa complectar: Vrbem veterem virtute sua conti nuit, Spoletanũ Dynastam vi, & consilio exarmauit, Rodulphum Tarlatum Tyrannum fregit, Thiphernates in ditionem Populi *Perusini* pertraxit, & quod optimũ fuit, e Martis sinu optatæ pacis serenitatem veluti trophęum reportauit ad suos. fęderatas inter se dixisses fuisse Oddi virtutem atq; fortunam, quæ adeo magna fuit, quod de magnitudine cum virtute certans, victa dedit manus.

De hoc supranominati scriptores.

Pasqualis II. Pontifex max.

PAsqualis ex nobilissima Raineriorum familia natus, inuitus

tus ad Solium venit; in quo tamē sedit pro dignitate. Gilbertum pseudo Pontificem Albis Marsorum ferocientem, Perusino milite immisso, loco deiecit. Sed vide temporum calamitates. Post Gilbertum tres de Pontificatu cum Pasquali ausi sunt certare. Eos omnes Pasqualis virtus oppressit. Sub hæc, occupata Pontificię ditionis Oppida per multa, quà ferro, quà minis a Tyrannis recepit. Collapsam Clericorū in Gallia disciplinam, cum accepisset, eò se contulit, & salubrem malo medicinam fecit. Redierat in Italiam, & Enricus V. Cæsar ædfuit. Is cum Pontificis imperata sese deinceps facturum promisisset, a Pasquali Romæ splendidè exceptus est. Sed repente ex Agro lupus, & sacrum Purpuratorū Patrū Senatū, & Pōtificē ipsū cōiecit in vincula, quia facinora sceleſtiſſimi Cæsaris nō probabāt. Cōposita res

erat

erat cum Henrico, & paulo post occubuit Mitilda celeberrimi nominis Comitissa, cum plurima ditionis suæ Oppida Romanę Ecclesiæ testamento legasset: Pasqualis adijt Ecclesiæ nomine hæreditatem. Tertio post hæc anno extinctus solemni pompa elatus est in Vaticanum MCIIXX. cum sedisset in Petri solio annis XIIX. cũ dimidio.

De eo Carolus Sigonius lib. V. & veteres manuscripti Perusiæ.

B. Paulinus ex Comitibus Bigazzinis.

PAulinus ex Nobili Comitum Bigazzinorum Familia, sacro Syluestrinorum Ordini nomen & ornamentum dedit, in vmbra Monasticæ vitę non vmbratilis athleta semet ipsum vicit. Quare nobilissima corona meruit cohonestari à Deo, & euehi supra naturam.

Longum

Longum esset miracula referre, amplissima eius virtutis testimonia. Longo terrarũ spatio disiunctus, Syluestrini Ordinis Fundatorem Diuum Syluestrum vidit in Cęlum ancillantis auræ ministerio delatum; nec àliter de felicissimo illius obitu loquutus est, quam si morienti adfuisset. Hunc ipsum Syluestrum hospitem aliquando cũ haberet, nec esset, quò reficeret, Deum in opem compellauit. Planè mirum, continuò altissimas inter niues eruperunt poma pulcherrima, quę & corpori leuamen, & animo tulere solatium. Obijt inserendus Cælo, colendus Terris Anno MCCLXX.

De eo habetur in Cronicis Syluestrinis, in historia Sanctorũ Vmbriæ Iacobilli, & in Annalibus Pellini.

S. Petrus

S. Petrus de Vinciolis Abbas.

PEtrus de Nobilibus de Agello; ex quibus Vincioli originem trahere creduntur, adhuc puer Cluniacense Monasterium adijt, in quo Benedicti Viri sanctissimi instituta professus, sacrę doctrinæ, & diuinarum rerum cōtemplationi peruigilem nauauit operā. Anno post Virginis Partum 980. Princeps Perusiæ Ecclesia Apostolorum Principi dicata, vetustate soluta ruinam minitabatur, dum Populus splendidiorem meditatur Basilicam, Petrus labentē sibi tradi ab Honesto Perusinorum Antistite petijt, & obtinuit. Sequitur nobile piæ munificentię exemplum. In eo templo instaurando, ornandoq; Agellorum Familia ingentem auri vim, suadēte Petro, cōsumpsit.

Ad

Ad hæc Monasterium ijs, qui Benedicti instituta sectarentur, erexit splendidè dotatũ, hodièq; & Monasterium Monachis celebratur, & tẽpli structura, ornatusq; suspicitur. nõ præteribo certissimũ sanctimoniæ, qua Petrus floruit; monumentum, erigebantur ad ornatũ Tẽpli marmoreæ columnæ, insanæ prorsus magnitudinis: disruptis repente funibus ex illis vna ruebat, Petrus expresso in aere salutaris Crucis signo labẽtẽ sustinuit. Extinctus anno MVII. sacris fastis inscriptus est. Neapolio Comitolus Antistes eius Reliquias in potioribus Perusiæ Tẽplis, paulo antequam hæc scribo, solemni pompa collocauit.

De eo habetur in Historijs Monasticis, Ferrarij, Ricordati, & in Ludouico Iacobillo, nec non in manuscriptis Ecclesiarum S. Laurentij, & S. Petri huius Ciuitatis.

Petrus

Petrus Comitolus S. R. E. Cardinalis.

PEtrus Comitolus ex comitibus Collis medij humanioribus literis, & Philosophia ferè puer institutus est; adolescentior in sacrorum Canonum cognitione ita desudauit, vt inter ætatis ad blandientis, & ancillantis fortunæ obsequia voluptatem animorum perniciem fastidio respuerit saluberrimo. Sub hæc Aulam Cenci Cardinalis Sabelli incoluit, & viam ad maxima strauit, animo dignitatis omnis capacissimo. Ergo cũ ad summum solium Sabellus ascẽdisset ex Cardinali Pontifex maximus Honorius iii. Petrus ab illo primum Romanæ Rotæ inter Auditores relatus est, tum Rothomagensis Archiepiscopus creatus, demum Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus

nalibus adſcriptus, in ea luce po-ſitus emicuit Orbi, & Pontifici ſem-per adhærens prǽſtantiſſimarum rerum eidem author fuit. Obijt Albanenſis iam Epiſcopus, ob exi-miam doctrinam, vitęq; ſanctimo-niam poſterorum memoria digniſ-ſimus.

De hoc Panuinius, Ciacconus, Vghellius, Pellinus, & Iaco-billus.

Petrus Philippus I. Cor-neus I. C.

ORis venuſtas, totius corpo-ris fabrica ad maieſtatem compoſita, dicendi copia, doctri-næ prǽſtantia eam Petro Philippo gloriam pepererunt, vt Princeps inter Italiæ totius Doctores cenſe-retur. Cum ingens ad illum audi-endum vndiq; fieret concurſus,

p urimos

plurimos in sapientiæ sinum feliciter perduxit. Nè, qui aberant, ingenij sui fructu carerent; doctissimos edidit commentarios in Codicem, & Consiliorum volumina plura. Vixit Ciuibus suauissimus, primisq; in Patria muneribus perfunctus, occubuit plurimis luctuosus: funus in Aede Diuo Francisco sacra curatum est, quantum Familię splendorem decebat, dicam melius, quantum Doctori maximo debebatur.

De eo supracitati scriptores Perusini.

Petrus Perusinus Pictor.

PEtrus, quem Perusina Ciuitate donatum Perusinum dixere, umili genere in Castro Plebis, quæ ıodò Ciuitas, natus est. Alto veetoq; ingenio præditus adhuc uer Perusiam venit, & pingendi

Arti

Arti ſedulam nauauit operã breu i Magiſtros ſuperauit, Arteq; ipſam iam pænè collapſam non modò erexit, ſed & illuſtrauit. Subindè *Peruſię* Gymnaſium aperuit, ex quo *Pictores* prodiere celebriores Benedictus Bonfilius, & Bernardinus *Pictoricchius* ex noſtris, & omnium celeberrimus Raphael Vrbinas, cuius manus nunquam interiturum *Præceptori* decus effinxit. Clarioribus velle huius Viri artem coloribus exprimere inutile eſt, cum ſuo ipſe ſibi felix penicillo immortalitatem pararit. Concludam Elogium carminibus, quę *Petri* imaginem ab ipſomet *Peruſiæ* in Collegio Cãbij expreſſam exornant.

Perdita ſi fuerat pingendi Hic retulit Artem,
Si nunquam inuenta eſt hactenus, ipſe dedit.

De

De eo, Georgius Vasarius de Pictoribus Illustribus.

Philippus ex Comitibus Bigazzinis.

PHilippus ex Iacobo Coccorani Comite & Baconissa Camerini Ducis filia natus, natura factus, & arte institutus videbatur ad imperium; primus idemq; postremus Perusię Dictaturam gessit, Antesignani nomine eam dignitatem primò semestrem iussit esse. Senatus Populusq; mox cum sensisset e Rep. fore, si diutius Philippus præesset, iussit esse perpetuam. At Philippus, qui Perusinos mallet conciues habere, quam subditos, & Populari fauori diù intercessit, & tandem decimo, & septimo post initam Dictaturã anno, suprema ea potestate se se abdicauit.

abdicauit. Populus è solio discedenti hoc benè administratę Reip. testimonium dedit, ne quis in posterum Perusiæ Dictator esset, quia nemo videbatur futurus Philippo par Antesignanus. Cum fuit, hæc præcipuè gessit: Cardinales, qui Clementem quintum absentem crearunt Pontificem, diù *P*erusiæ detinuit, ne ex Italia Pontificem sequerentur in Galliã; cum nihil impetrasset, animum ad Italię curam conuertit. Primum in Patria Guelphorum, & Ghibellinorum dissidia extinxit; mox Fulginatum, ac Tudertinorum res cõposuit, & apud vtrosq; summam gessit Præfecturam; Spoletanos, Narnienses, Amerinos, Interamnenses, quod Ghibellinorum titulo Fulginates vexarent, armatus profligauit. Henricum VII. Cęsarem ex Germania in Italiam illapsum, & Guelphorum Ciuitatibus ferrum, flammamq;

minantem Perusino agro frustra reluctatem arcuit, Florentinis, & Roberto Neapolitanorum Regi in eūdem Cæsarem opem, operāq; abundè exhibuit. Imminebat iā Senectus, cum pium iniit Consilium. Contulit se se ad Rhodienses Equites, vt in Turcas pro Religione dimicaret, in ea expeditione, gloriæ maturus occubuit anno 1325. Decedēs testamēto hęc indixit hæredibus. Quoties sacrum bellum indiceretur, toties suis sumptibus militem cathaphractum mitterent, quoties certam quādam pecunię summam quiuis peteret, Deo placituri.

De hoc Pellinus, Crispoltus, Iacobillus, & Laurus.

Philippus Maſſinus I.V.C.

PHilippo Maſſino ingens ex Poeſi, & Philoſophia laus obuenit; ſed ex Iuriſprudētia vberior gloriæ meſſis, Ius docuit Patrio primum in Gymnaſio, exindè pręſtantiſſimis quibuſq; Italiæ in Academijs primas habuit. Peruſia Firmum accitus eſt, Firmo Piſas, & Piſis Tycinum; Tycino iterum Piſas, Piſis demum Bononiam, Sapientia hoc habet eximiū, amatur ab omnibus, & quiuis cupit, ſapientem habere apud ſeſe, a quo erudiatur. Edidit Italicorum carminum volumen vnum; Conſiliorum vero, & lectionum plurima. Obiit Bononiæ, & ſplendido funere elatus, habuit in Aede Diuo Petronio ſacra ſepulcrum anno MDCXIIX.

Philippus Albertus Poeta.

TVam verò Philippe Alberte, Poetarum fios, Musam illaudatam præterire propè piaculum sit. Argumentum sterile, & obductum, ingenij fælicitate fæcundas, & illustras sententiarum plenus, ac leporis suauissimi, siue amatoria canas, siue a Grecis, vel latinis aliquid mutueris, in omnibus tibi par, & numerum imples, & auri obsecundas. Vtinam liberalior in edendis carminibus fuisses; haberet hodie Patria Vatem vberiorem, quo gloriaretur; cui magnus ille Torquatus Tassus antequam sua carmina cuderentur, recognoscenda, ac perpendenda mittebat. At tù modestiæ amantior, quam plausus vix pauca in publicam lucem contulisti, quãquã ex illis nos quã

sapidus

ſapidus, & verè melleus fueris, ſatis abunde experimur.

S. A. Propertius Poeta.

HInc quoq; Auguſtæ Peruſiæ decus eſse multi nec niſi laude digniſſimi cẽſuere; Patrem habuit fortem magis, quam felicẽ, cecidit enim inter eos, quos lucij Antonij partes ſequutos numero omnino ccc Octauianus Auguſtus, capta Peruſia, ad Iulij Cæſaris Aram iuſſit immolari. Pænè puer paternis bonis ab Auguſto excluſus Romam venit, vt mitius egeſtatem pateretur natura, & arte cum Poetæ nomen ſibi comparaſſet, a Męcenate inter familiares receptus eſt. Amatoria ſunt ferè omnia, quæ ſcripſit Noſtram neſcio quã Cynthiæ nomine exornauit, Græcos poetas principes

in Elegia imitatus, ferè principatum in latina Elegia assequutus est, vel primus omnium, vel primo proximus.

De eo fusè P. F. Fælix Ciactus Ord. Minor. Conuentualium.

B. Rainerius de Fagianis.

RAinerius ex familia Fagiana ea tempora sanctimonia, & pietate illustrauit, quibus *P*rætor *P*erusię præfuit *R*olandinus Mariscottus Bononiensis. Cum Rainerius pręclara probitatis exhiberet exempla, plurimumq; dicẽdo posset, Mariscotti suasu Bononiam iuit, vt nobilissimę prodesset Ciuitati. Extat in hanc diem *B*ononię xenodochium, quod Rainerius cõstruendum curauit, certatim conferentibus in id operis pecuniam Bononiensibus illud veneratione

neratione dignum ; *Xenodochio* cum præſſet Rainerius, quot quot eo ferebantur ęgroti, ad vnū omnes, *Rainerio* Deum deprecante, curabantur. Quare & hodie xenodochium illud Hoſpitale vitæ nuncupatur ſenuerat iam Vir optimus cum *Perusiam* rediit. In *Patria* dum pietatis officia promouet, & certis ſe ſe diebus flagellantium ſodalitates inſtituit, *Cælo* maturuit. Ergo in Cælis exornandus exceſſit anno MCCLXX vel circa, Terris funus Populi in extinctū reuerentia fecit illuſtre.

De eo habetur in Annalibus Pellini, & Ludouicus Iacobillus in Historia Vmbriæ, & Sanctorū & Beatorum d. Prouinciæ.

Rainaldus Ridolphinus I. C.

EXimia virtute, ac sapientia assequutus es Rainalde, vt nō solum in *Patria*, sed *Pisano* etiā in Gymnasio summa cum laude Ius ciuile interpretareris. At ille vberior doctrinæ tuæ fructus extitit, cum Thobias Nonius Competitor tuus Iuris ea tempestate peritissimus obijsset, in eius locum magno stipendio a ciuibus Pisis in *Patriam* reuocatus es. Non referam quo plausu partes tuas egeris; si dixero, qui tua prodiere è schola discipuli, satis te *Præceptorem* commendauero. Ex tua disciplina ad honoris fastigiū iuere Clemens VIII. & *Paulus* V. Pontifices optimi, ac verè maximi, nā Episcopos longè plures, & *Principes* purpuratos non paucos tua institutione profecisse consultus præ-

pręteream. His discipulis tua constat sapientia clarius adhuc, quã lucidissimis responsis, quę filio ex asse reliquisti, aut orationibus quas in lucem passus es exire. Obijt Vir clarissimus in Patria anno MDXCI. & in sacra Diui Florentij Aede magno funere sepultus est.

Rainerius Frosina de Vibijs.

RAinerius vulgò Frosina e Bracchij Fortebracchij schola per omnes militiæ gradus nauiter ascendens, clarissimus bello Dux euasit. Manu promptus, quẽadmodũ consilio sagax. Cum esset in Aquilæ obsidione Bracchium hortatus est, vt hostes è montibus in Campum excurrentes adoriretur, relaturus victoriam non incertam. Amici consilium ille si

ſuſcepiſſet, Italiæ Decus, non rui-
nam ſibi comparaſſet. At Froſi-
na rerum geſtarum commenda-
tione iam clarus, honorificis ſti
pendiis a Mediolanenſium Duce,
& paulò poſt a Rep. Florentina
equitum Præfectura decoratur.
Demum anno MCDXXX. a Lucẽ-
ſibus eligitur Imperator armorũ,
ſenior ad eum exiſtimationis gra-
dum venit, vt Peruſinos inter He-
roes eius imago in Aula Bracchii
Balioni conſpiceretur.

De eo Pellinus, Criſpoltus, & Laurus.

Rainutius ex Comitibus Marciani Grauinæ Dux

NOn modo Patrię, ſed exte-
ris quoq; Principibus Peru-
ſinorum virtus & ſaluti fuit, & or-
namento. Clarisſimum habes in
Rainutio

Rainutio Marciano exemplum ob eximiam virtutem, ac fortitudinem, summum authoritatis, ac potentię locum apud Venetos diù obtinuit, mox validissimi exercitus Imperator Florentiæ Reip. consuluit cum laude. *D*eniq; Aragonensium Regum ad stipendia vocatus, tam fidam fortemq; iis operam præstitit, vt grati animi pignus Grauinę Vrbis *D*ucatum ab iis acceperit. Capuam a Frãcorum Rege, & Cæsare Borgia obsessam tuebatur, cum in hostiũ Castra irrnmpens, iaculo traiectus occubuit, anno MDI.

De eo Pellinus, Maturantius Iacobillus, Crispoltus, & Laurus.

Restaurus

Restaurus Castaldius I. C.

PRimos annos politiori literaturæ, & Philosophię dedit, deinde ad Iuris prudentiã se contulit, quam felicissimè adeptus est, & Patrio in Gymnasio explicuit; post hæc Bononiam ingenti stipẽdio vocatus, vt doceret, conceptam de se spem adeo non fefellit, vt superaret, cũ vbiq; laudaretur, & præstantissimos inter Iuris interpretes numeraretur, ad primam Perusinæ Academiæ Cathedram reuocatus est. In Patria dum docet, luculentum doctrinæ testimonium accepit a sapientissimo Principe Paulo 3. Pont. max. a quo Alexandrum Farnesium fratris, & Guidam Antonium Sororis filios legali disciplina iussus est instituere, plurimum non modo doctrina ingenioq; sed suauitate morum, ac prudẽtia vallauit. Quare

summis

summis semper Viris carus Paulo IV. sic placuit, vt sacræ Consultæ Proceribus ab eodem adscriberetur, homo adhuc priuatus nullaq; Ecclesiæ dignitate præfulgens. Purpuratis Patribus adnumerandus fuit, nisi coniugii, quo adstringebatur vinculum ab eo gradu prohibuisset. Obiit anno MDLIX nō dum sexagenarius edito de Imperatore Tractatu, & lucubrationibus longè eruditissimis.

Ricciardus Bartolinus Poeta.

Ricciardus Bartolinus secūdis Musis, & Apolline natus, ferè puer poeticam laurum amauit, qua maturior coronaretur, oratoriam, & poeticam in Academia nostra cum profiteretur, nōmodò soluta, vinctaq; oratione plausum sibi, sed prudentia etiā, ac solertia orna-

rnamentum Patriæ comparauit. Ad Remp. Florentinam, ad Cardinales in Conclaui positos, ad Summum Pontificem legatione functus pro Patria, apud eos Principes Perusinam dignitatem amplificauit. Cecinit heroico carmine Austriacorum Principum, de Gente Bartolina benemerentium, gesta præclara, & Maximiliano Cęsari dicauit. Ea carmina excussa deinde in Germania Picus Mirandulanus Vir vtiq; laudatissimus liberaliter laudauit, & ob eadem ab eodē Maximiliano laurea coronatus Comesq; Palatinus pronunciatus est, eidemq; publico Diplomate facultas data Poetas, Doctoresq; coronandi, Ciues, Notariosq; creandi, spuriosq; amplissimè legitimandi.

De hoc M. Antonius Bonciarius, Pellinus, &c.

Rodulphus

Rodulphus Balionus.

HIc Malatestæ Balioni Parẽtis strenuissimi Ducis in disciplina militiæ, tyrocinia posuit, bello deindè clarus a multis Italiæ Principibus, præcipuè verò ab Alexandro, & Cosmo Hetruriæ Ducibus expetitus est, vt militi summo præesset cũ imperio; equites pro Cosmo cum regeret, Florentinos exules extrema quæq; Patriæ, ipsiq; Cosmo minitantes profligauit, & fregit penitus. Feliciter hoc bello confectò, nouæ materiã gloriæ quærẽs, in Gallias profectus est, pro Rege ipso cõtra Hereticos militaturus maxima queq; in Regiis Castris munera exercens, nominis famam impleuit. Interea tumultu salario a seditiosis Perusiæ excitato, amãtissimus Patriæ a bonis reuocatus, vt eorũ armis præesset cõsilio tantum, & authoritate apud Ciues valuit

valuit, vt facinus deteſtati, hoc maximè deprecatore, in Principis ſui gratiam redirent. Efferebatur Ciuium laudibus; & Cluſinam Vrbem cum Aſcanio Corneo audentius dum oppugnat, occubuit anno MDLII.

De eo Frollierus, Sanſouinus, Pellinus, & alij.

Rodulphus de Oddis Regni Neapolit. Comeſtabilis.

PLusne Rodulpho ſplendoris acceſſerit ab Generis nobilitate, an Generi ab illo, non facilè quis diiudicet. Eximiè prudens Patrię negotia adeò feliciter apud Martinũ V. & Eugenium IV. ſummos Pont. peregit, vt *Patrię Pater*, illuſtri ſanè titulo, potuerit nuncupari. Apud Aragonenſes *Reges* legatione pro *Patria* cum fungeretur

fungeretur, & rebus gestis, & bellica virtute eorum animos tam obstrictè sibi deuinxit, vt totius Neapolitani Regni Comestabilis ab eis fuerit renunciatus. Sub hæc in Patriam rediit, cuius ditionem, imperiumq; cum protulisset, magnorum prouentuum largitione, & triginta Catafractorum equitum custodia insignitus, Gentis suæ decus, & opes plurimum auxit. Redierat Neapolim ad munus sibi commissum, & anno MCDXXXII. magno Regis, totiusq; Regni dolore desiit viuere. Cadauer Perusiam relatum, splẽdido funere in sacra Diui Francisci Aede sepultum est.

De eo Franciscus Zazzera in Nobilitate Italiæ, Pellinus, & alij.

Ruggerius Canis de Rainerijs.

HVius ego vnicum tantum facinus referam, sed cui hominum memoria debeat immortalitatem. Ardebat bellum Venetos inter, & Sigismundum Cæsarem, eo prælio quo Carolus Malatestius Venetorũ Imperator occubuit; a Sigismundi milite agebatur in fugam Venetus, actum de re videbatur, cum Ruggerius Pontem occupauit, per quem futurum erat iter Cęsariano militi fugientẽ Venetum insectanti. In eo Ponte solus cum integro, & victore exercitu decertauit. Nec cessit loco, donec dilapsus miles rediret ad ordines, staretq; Victori par victus; nescio an dicturus sim, felicius pugnatum in Ponte a Ruggerio, quam a Coclite, vt cũq. sit. Habet Perusia quem Romanæ gloriæ obiiciat. Pręmium tãti facinoris

facinoris accepit a Venetis insignẽ Præfecturã, qua equitum alis omninò quinquaginta pręesset.

De eo, Scriptores Perusini nominati.

Sfortia Oddus I. V. C.

INter præclara sæculi huius ingenia conspicuus omniũ digito monstratus est Sfortia Oddus, qui transacta per omnem honestarum Artium cultum adolescentia, optimas literas ita complexus est, vt aliis in ęmulationem ostẽderetur, & exemplũ. vix in Perusino Gymnasio publicus Iuris interpres ingenii sui specimen dedit, cũ a Pisanis, Tycinensibus, Patauinis, Parmẽsib. desideratus est. Nè cuiusquã vota frustraretur, omnes suo ordine adiuit, atq; vna morũ elegãtia, doctrinaq; non solum apud illos, sed apud alios etiam ad famæ nunquam interiturę gloriam aditum sibi parauit feliciſſimè edidit

per-

pereruditos Tractatus Restitutionis in integrum, Substitutionũ, Fideicommissi, & exculta inprimis Consilia, quibus conceptam de se opinionem non modò sustinuit, sed etiam exaggerauit. Cæterum seueriores Musas dum colit, remissiores non neglexit, felicitate sũma in Comœdiis scribẽdis versatus est, quare in eo genere aut primus, aut nulli secundus haberì potest. Obiit annis, & gloriæ maturus *Parmę* Ducis Consiliarius anno MDCX.

Stephanus Pignattellus S.R.E. Cardinalis.

STephanus pręaltę vir mentis, & incredibilis constantię, ingenii prorsus infracti, vigorẽ ad nullas vnquam fortunæ contumelias demisit. In explicandis vel Gordiano

nexu impeditioribus tricis, omniq; negotio prudentissimus, reluctantis fortunæ insolentiam longa patientia, an sapientia dixerim ita superauit, vt eãdem in suam potestatem redegisse omnium admiratione prædicaretur. Cohonestatus Purpura a Paulo V. Pont. max. inter sacrati Ordinis senatores talẽ se præbuit, vt magnam nominis inuidiã mira dexteritate, & firmitate infregerit. Gregorio XV. Pont. è viuis sublato, Stephani opera plurimum valuit ad concilianda Patrum suffragia Vrbano VIII. Pontificum optimo, & sapientissimo: sub hæc properato fato non sine magno summi Antistitis dolore excessit è viuis anno MCDXXIV. nũquam senescente, ne dum interitura prudẽtiæ commendatione.

Thobias Nonius I. V. C.

ANno salutis fũdatæ MDLXX obiit Thobias Nonius annos natus duos & quadraginta; hoc est ea excessit ætate, qua pulcherrimis editis doctrinæ floribus vberrimos pollicebatur fructus. Docuit Patrio in Gymnasio summa cum laude, & defuncto Restauro Castaldio ea tempestate Iuris consultissimo, eius locum iussus est adire, & verò impleuit pro dignitate. Scripsit in Titulos quosdam Institutionum, & publicæ luci dedit, cui etiã eruditissimorũ Respõsorũ volumen cõmisit. Fuit incredibili morum suauitate, & grauitate, vt merito æquè amaretur, & coleretur. Extinctum non modo Perusinorum præstantissimi, sed adolescentiam Academicorum plerique atrati ad sepulcrum sequuti sunt Præceptorem, quem omnes

deplorarunt

deplorarunt. Funebri oration laudauit Cardanetus, cuius elo quentia aut defuncti virtutibu par, aut certè minus impar ha bebatur. Cômendat eũ valde Ber nardinus Iacobillus I. V. C. in sui: eruditis Consilijs.

Troilus Balionus Episcopus Perusinus.

O Qualẽ tui speciem nobis refers, Troile Balione de Prothonotario repentè summi Pontificis Alexandri VI. iussu militarium cohortium Imperator, scilicet non minore quam sacro milite pro tuendis a Barbarorum incursu *R*omæ sacrariis indigebat Pontifex, nec poterat sibi dignior subesse causa mutandi togam in sagum. I prosequere fęlix, auspi cato victoriam, & expugnata Ho stia Tyberina, accipe de hostiũ exuuiis palmatã togam. Verum redi pacatior ad quietiorem statum,

sa-

ſatis glorioſè, quamuis breui tuę famæ ancillata eſt Bellona, Marte quaſi alieno vſus ad tempus. Fruere perpetuo Minerua tua, ſume pro Galea Inſulam, pro Gladio Pedum: Peruſina te expectat Eccleſia ex Anteſignano Antiſtitem. Deſtinabatur tibi etiã purpura, ſed immaturo funere raptus anno MDVI. ampliſſimam dignitatẽ merere potuiſti, non aſſequi.

De eo Pellinus, Maturantius Hieronymus Columbus, & Fulnius Mariottellus de Epiſcopis Peruſinis.

Vgolinus II. ex Comitibus Bigazinis.

VGolinus secundus Albertini filius Petroriũ Auctæ ditionis Oppidũ Anno salutis MCCLVI. ab Eugubinorum impetu parua suorum manu, sed magnæ virtutis exẽplo defendit. subinde accepto auxiliari milite a Guidone Mõtis Marciani Marchione, & ab Vguccione Spoleti Duce, in Perusinorum Castra venit; indè Eugubinos adortus| hostem ad pacem adegit, quæ Thiphernatibus Arbitris sanciretur. In tanta militaris virtutis gloria pietatem mirificè coluit, Monasteria duo extruxit, & splendidè dotauit; alterum quidem, cui à Sanctis Marco, & Lucia fuit nomen, in finibus agri Coccorani extructum Siluestrinis dedit; alterum, quod a Sancta Ma-

ria appellant, hodièq Piſcinam inter, & Petrorium extat Diui Franciſci Aſſiſinatis Sodalibus incolendum attribuit.

De hoc Hieronymus Frollierus, Laurentius Spirtus, & M. Antonius Bonciarius de Viris Illuſtribus Peruſinis.

Vincentius Herculanus Epiſcopus Peruſiæ.

VIncentius Herculanus vt sãctioris vitę curſum perageret, Diui Dominici Inſtituta ſequutus eſt; doctrina & pietate cum celebraretur, a Pio V. Pont. Max. Sarnenſis Eccleſiæ Præſul dictus eſt, iuſſuſq. eſt cum Sororis ſuæ filio Cardinale Alexandrino Legato in Hiſpaniam, & Luſitaniam ire, vt Conſiliorum author eſſet, & arcanorũ particeps. ſubindè a Gregorio

gorio XIII. Imolensi, & paulo post Perusinæ Ecclesiæ præficitur. in omnibus prçter sedulam, diligentemq. operam positam in Clericorum moribus emendandis, lapsaq. Ecclesię disciplina restituenda, illud edidit celsissimi animi, & inferiora hęc despicientis exemplum; amplissima Ecclesiæ vectigalia, non in priuatum cultum splendoremq; nec in domesticos amplificandos impendit, sed in egenorum paupertatem liberaliter eleuandam. senio confectus tantorum laborum mercedem recepit in Cælo, vt speramus, anno MDLXXXVI. & in Ecclesia Diui Dominici magno funere sepultus est.



Vincentius Aneſtaſius Eques Comēdatarius Hierosolymitanus.

VIncentius Aneſtaſius prima ſua ętate Hieroſolymitanorum Equitū inſtituta ſequutus, in ipſo tyrocinio egregia fortitudinis ſummæ edidit documenta. quare breui ex Milite Dux, centurias ferè prius duxit, quàm militauit. cætera vt omittam, illa ſilenda non ſunt, certamine illo, quo Chriſtianus miles de Turca Lepanti triumphauit, ſic rem egit Aneſtaſius, vt reliquos milites in ęmulationem accenderet; a magnis verò Ducibus iam tunc ampliori munere dignus iudicaretur. At Melitenſi obſidione in Turcas ſic decertauit, vt fulminare verius, quàm pugnare videretur. His artibus

tibus promeruit, vt a Magno Equitum Magistro Commēdatarius fieret, & opibus simul, ac dignitate augeretur; ab Vrsino Venetarum copiarum Imperatore ad Præfecturam euheretur insignem, & tanto exercitui maioris Seligentis titulo prçficeretur.


De eo supracitati scriptores.

Vinciolus I. de Vinciolis.

INfractæ constantiæ documentum habes in hoc Vinciolo, quisquis tanti bellatoris præclara gesta perpendis attentius. Tantū enim illustris Ducis decus est cōsequutus, vt Guelphorum Copiis fuerit præfectus, cum quibus Assisii possessionem adiuit. In Spoletanos, qui a Perusinis defecerant, acriter dum pugnat, eum Popu-

lum capta Arce ſubegit. Cæterum quod mirum videri potuit, non modo impiger miles, & Imperator magnanimus, ſed prudentiſſimus Vrbis moderator habitus eſt. Spoletinorum curam ex Senatus Perufini decreto, cum ſuſcepiſſet, togata laude armatam gloriam illuſtrauit.

De hoc referunt Pellinus, Frollierus, Spirtus, & alij.



Eminentissimo Principi

BENEDICTO
CARD. VBALDO

Perusiæ Episcopo, Bononiæ Legato
Vigilantissimo:
Qui spectata per honorum gradus
VIRTVTE,
in arduis probata,
Par maximis, maiorum capax,
melior fama,
Fœlicitati Orbis natus,
Ex Monaldis in Vbaldos,
Auunculo adoptante adscitus,
Purpurata vtrique Familiæ luce
micaturus,
Tam facili nisu, quàm certo omine
contendit ad culmina:
Quattuor hosce inclytos
è multis paucos
MONALDEAE NOBILITATIS
Paterni PROCERES Generis,
Emeritæ gloriæ Veteranos,

Honorariæ militiæ Triarios,
Non Centuriatos,
nec in ordinem redactos,
Extra Centuriam
subsidium Centuriæ ac decus,
Lucidissimos
extrema cogentes Astra
LVCIFEROS
E priuatis publicisque Annalium
Tabulis
In hæc exigui voluminis Breuiaria
contractos,
Longum suorum agmen
post tracturos,
Tamquam Antesignanos
fœliciter præeuntes
Cæsar Alexius I.C. Perusinus
D.D.D.

Fr.

F. MONALDVS DE MONALDIS Epiſcopus Amalf.

FR.Monaldus de Monaldis,fucatis voluptatum illecebris alto pede calcatis, vernanti coma Heliotropium, ſydereæ inhians inhærenſque origini, intra Monaſtica Minoritarum Franciſcanorum ſepta, fruſtra latebras tenebraſque quæſiuit: nam duplici ingenij morumque iubare latè radians, Auenionem à Pontifice vltrò accitus, componendiſque per Italiam rebus honeſta Legatione Præfectus, ſtridentes paſſim populorum, in mutuam perniciem ruentium, procellas mira celeritate ſedauit: gliſcentibuſque inter Peruſinos, Tudertes, finitimoſque armorũ ſeminibus opportunè oppreſſis, parta rebus feliciter geſtis gloria circũfluẽs Caduceator, Auenionem reuerſus à Pontifice Epiſcopatu Picentino, quem

nunc Amalfium vocant, virtutis ergo decoratur. Anno MCCCXXI.

Ex Pellino, Annalibus &c.

GLOTTVS I. MONALDVS.

GLottus Monaldus, & lõga maiorum ſerie, & ſuoptè ſplendore, & Montis Lucij luce clarus, piè doctus, ac doctè pius, philomuſus amœnus, philologus elegans, philoſophus fama, moribus, exemplo inſignis, dominantis tum latè Patriæ Prætoria Poteſtate Præfectus, vel hoc vno immortalitatis digniſſimo facto, mortalitatis fatum ſuperauit, ſeque Cœlo aſſeruit. Vir æquè animi fortunæque bonis affluens, lætum latumque fundum ſuburbanum, ad orientem, cum miræ ſalubritatis, inclytæque apricitatis Colliculo, Vrbis Ocello, cui Monti Lucio nomen, poſſidebat. Hic diuino perfuſus radio

dio, nomine in omen verſo, Certè inquit, Cœlum vænale eſt. quidni lucidam illic ſedem Monte hoc Lucio comparo, perque hanc dubiam obſcuramque aditum mihi ad certam manſuramque lucem munio? Redit luce loci actus in vrbem; teſtamentũ condit: Montem Lucium Vgoni Cardinali Peruſiæ Legato hac lege legat, vt lucido Collicuło, Cœli æmulo, extructa, & Virginum Virgini dicata loco edito Aede, Virginea ſidera inſerantur. Quod carum Ciuibus, Legato curæ fuit. Anno igitur à Chriſto nato MCCVIII. eodem propè tempore, & in Mõte Lucio Monaſterium auguſtiſſimum, quod loci nomẽ retinet, & Vgo Legatus, Gregorij Noni appellatione in Sede Pontificia, & Glottus apud ſuperos, noua Vrbi, Orbi, Cęlo addita ſidera micuerũt.

Ex diplom. Honorij Tertij.
Franc. Gonzaga p. 2. alijſque.

CAESAR MONALDVS.

CAesar Monaldus XXIII. ætatis anno, ab Horatio Ludouisio S. R. E. Generali, ab excessu Gregorij XV. custodiendo Conclaui Perusinis armis Præfectus, Vrbano VIII. gratulatoria legatione functus, raptus patrio & suo Genio in Belgicam, perpetuam illam Martis palestram, in difficillima Bredæ expugnatione, Masfeltio rem Bredanam magna Hæreticorum manu, acerrimè sustinente, prima futuræ virtutis fundamenta, haud incruento pectore, iecit: quibus altè inædificaturus, dum per Germanica bellorum incendia, multis editis facinoribus, inclarescit, apud Sontras Prouinciæ Assiæ, annum agens XXV. heu! Flos vernans Veneris, & Martis, Morte inuidente, decerpitur.

GLOTTVS II. MONALDVS.

GLottus Monaldus ingenio præcoci in cunis canus, præposterè vitam exorsus, pueritiam saltu tramisit, fructibus æstati carendæ debitis, Vere antesolutis, floruit, defloruit. Martialis pruritus impatiens, noscere & nosci cupidus, Flandrico classico primo vitæ mane eò raptus, vbi ærati Iani postes feram nesciunt, Hispanicis auspicijs Breda diù oppugnata, & cruenter expugnata, feruidos Patriæ virtutis radios, nec ad pericula degeneres, funestus hostibus, sibi ominosus Cometes diù iaculatus, testatum in frequenti Heroum schola reliquit, Perusinos Marte, Bellonaque oriundos, hæreditario imbutos Genio, quasi posito intra Parentum vteros tyrocinio, prodire virtutis emeritæ Veteranos. Properis in Vrbem litteris accitus, Vrbano

bano vrbanè excipienti, longumque explorandæ indoli cum eo de rebus Flandricis ſermonem ſerenti, virtute fideque pedum oſculo obſignatis, Carpentraſſi Gallicæ Vrbis, adiacentiſque tractus Præfectus diplomate perhonorifico declaratus, inſanis Roani Principis conatibus, Auenionenſem agrum hoſtiliter inuadentis, ſtrenuè retuſis, fama, opibus, Pontificio teſtimonio mirum quantum creuit. Sed ò raram virtutem, rarò longam! Malateſtæ Generali Pontificiarum copiarum Imperatori, Regi Chriſtianiſſimo ad vicinæ Vrbis Nimiæ oppugnationē propiùs accedenti, honoris atque officij gratia occurſuro, viſum, Monaidum ſecum adducere: expugnataque vrbe cum à Rege laudati, donatique redirent, heù perfidus Rhodanus, fracto, quo flos lectiſſimæ Iuuentutis vehebatur, nauigio, tantam

Glotto

Glotto adſpirantem à puppi gloriam, tantum militibus Ducem, tantum Patriæ decus inuidit. Fruſtra: nam ad quorum iubar caligat acies, nil ſub vndis perſtricta, ſydera contemplatur: & cum cætera elementa conſumere, abſcondere, terere nata ſint, vna vnda rerum formas refert, duplicata granditate maiores. Glotti quidquid obrui potuit, merſo molliterque cubante, fama cælo tenus emergit. Quid? Cycni, candidi atri funeris teſtes, gratiſſimo Muſis Phœboque capiti annuis concentibus parentabunt. Vixit annos XXV.



INDEX

INDEX ELOGIORVM.

12 Astor-

28 Cae-

P

R

S

T

V

Finis.